3.

Nova & Accurata

# METHODUS

Cognoſcendi ſimplicia Vegetabilia juxta triplicem cognitionem

1. GRAMMATICAM.
2. PHILOSOPHICAM.
3. MEDICAM. {Galenicam. & Chemicam.

Neotericorum Philoſophorum & Medicorum propriisque principiis ſuperſtructa, & curioſè adornata.

*Autore*

JOHANNE LUDOVICO HANNEMANN, Med. D. & Philoſophiæ Naturalis Prof. Publ. Ordinar. in Alma CHRISTIAN-ALBERTINA. S. R. I. A. N. C. Collega.

Die rechte Hand deß Höchſten kan alles endren. Pſal. LXXVII. Verſ. XI.

KILONI,

Literis & Sumptibus Joach. Reumanni, Acad. Typogr. 1677.

## D. D. Samuel Pufendorfius,

### l. 1. de offic. homi. & Civis Cap. IV.

*Tum pro cujusque capacitate & Fortuna aliquid addiſcendum, ne quis inutile terræ pondus ſit, ſibi inutilis, aliis moleſtus. Sed & tempeſtivè eligendum honeſtum vitæ genus, prout impulſus ingenii, corporis atque ingenii habilitas, natalium conditio, fortunæ bona, parentum autoritas, imperantium civilium juſſa, occaſio, aut necesſitas fert. §. 2. p. 48.*

*Cum etiam inordinati & vehementes affectus non ſolum ad perturbandum Societatem ſtimulos moveant, ſed & ipſi homini plurimum noceant: inde danda opera, ut quis affectus ſuos, quantum fieri poteſt, compeſcat. §. 3. p. 49.*

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

# *Nobilisſime, Amplisſime Excellentisſime & Experientisſime Vir, Collega & Domine plurimùm colende.*

ADmodum egregiè pro more ſuo *loco quodam* cecinit *Ovidius*

*Tabida conſumit ferrum lapidesque vetuſtas,*
*Nullaque res majus tempore robur habet,*
*Scripta ferunt annos, ſcriptis Agamemnona noſti,*
*Et quisquis contra vel ſimul arma tulit.*
*Fit vivax ſcriptis virtus expersque ſepulchri*
*Notitiam ſera poſteritatis habet.*

Quibus verſibus indicatur, cum omnium humanorum operum confectrix ſit vetuſtas, cum oppida, respulicas, regna evertat; ferrum denique, lapides, atque adeò ipſum adamantem, quem durisſimum perhibent, & in quo fatalia *Parcarum* decreta, propter ſummum rigorem ejus, inciſa eſſe perhibent poëtæ, conſumat; ſolam tamen eruditionum, omnium annorum ac *Libitinæ* domitricem eſſe immortalem. Quod quàm verùm ſit, re autore patebit. Nonne ſeptem illa miracula, & ſi qua his mirabiliora ſequentium annorum extruſit ambitio, ſolo æquata ſunt? nonne tàm mortalia fuerunt, quàm ii qui ea fecerunt? Negari certè non poteſt, quin etiam memoria eorum penitus ex animis deleta fuiſſet, ſi per ſcripta, humanarum actionum, &' omnium ſeculorum conſervatricia, licuiſſet. Illa ipſa terrarum Dea gentiumque Roma, & falsò æterna urbs, ubi eſt? obruta, diruta, incenſa, & ambitioſè hodiè quæritur, nec invenitur in ſuo ſolo, ſolum autem nomen & majeſtatem ſuam in ſolis ſcriptis tuetur. His veteris *Ægypti Thebas*, his centum *Cretæ* urbes cognoſcimus. Quis, ut *Theocritus* inquit, unquam optimates *Lyciorum*, quis *Priami* filios, aut *Cycnum* noviſſet, niſi ſuperiora bella ceciniſſent Poëtæ. Neque verò *Ulyſſes* poſt errores decem annorum, per omnium fere hominum urbes vagatus, etiam ad infe-

cos

ros profectus vivus, tot denique periculis perfunctus, atque ex antro *Cyclopis* ſalvus reverſus, diuturnam laudem conſecutus eſſet: Tum ſubulcus *Eumæus* ſilentio præteritus.

*Paulum* (enim) *ſepultæ diſtat inertiæ*
*Celata virtus.*

Literæ *Themiſtoclem*, qui de brevitate vitæ conquerebatur, literæ *Alexandrum* immortalitate donârunt, aliquando alioqui perituros, niſi iſtæ famæ & æternitatis artes obſtitiſſent. Sic vivitur ingenio. Nam, ut Pindarus inquit, ſermo factis diutius vivit, quem cum *Gratiis* volentibus lingua extulerit è profunda mente. Quamobrem *Eudamidas* rogatus à quodam, quam ob cauſam *Lacedæmonii*, priusquam in prælium irent, *Muſis* immolarent, cùm nihil *Muſis* cum *Marte* eſſe commercii videretur; ut rebus, inquit, fortiter geſtis contingat honeſta commemoratio. Enim verò,

*Non inciſa notis marmora publicis,*
*Per quæ ſpiritus & vita redit bonis*
*Poſt mortem Ducibus: non celeres fugæ*
*Rejectæque retrorſum Hannibalis minæ,*
*Non incendia Carthaginis impiæ,*
*Ejus, qui domita nomen ab Africa*
*Lucratus rediit, clarius indicant*
*Laudes, quam Calabræ Pierides; neque*
*Si chartæ ſileant, quod benè feceris,*
*Mercedem tuleris. Quid foret Iliæ*
*Mavortisque puer, ſi taciturnitas*
*Obſtaret meritis invida Romuli?*
*Ereptum ſtygii fluctibus Æacum*
*Virtus, & favor, & lingua potentium*
*Vatum divitibus conſecrat inſulis.*
*Dignum laude virum Muſa vetat mori,*
*Cœlo Muſa beat.*

Quod & *Pindarus* egregiè, *Nem. Carm. Septimo* hoc modo innuit; magnæ corporis vires magnæque animi virtutes, ab hymnis & laudationibus derelictæ, denſis tenebris circumfunduntur. Unicum eſt autem rerum fortiter geſtarum ſpeculum, quo videlicet illæ poſteritati prodantur atque immortalitati commendentur & conſe-

crentur,

erentur, carmen à docto aliquo Poëta conſcriptum, quod illarum rerum laudes, tanquam laborum præmia, complectatur. Idcircò elatè & magnificè, ſed tamen verè, hic idem Poëta, Statuarium ſe eſſe negat, qui mutas tantùm ſtatuas edolet, unâ defixas in baſi, ſed quos ipſe cantibus ſuis celebret, eorum famam terrâ marique ſpargi, ac diſſeminari.

*Quem referent Muſæ, vivet, dum robora tellus,*
*Dum celum ſtellas, dum vehet amnis aquas.*

Sic videmus ſe meritò jactitantem *Ovidium in fine Metamorphoſeos*, & *Horatium in Odis*,

*Exegi monimentum ære perennius,*
*Regalique ſitu Pyramidum altius;*
*Quod non imber edax, aut Aquilo impotens*
*Poſſit diruere, aut innumerabilis*
*Annorum ſeries, & fuga temporum.*
*Non omnis moriar, multaque pars mei*
*Vitabit Libitinam; usque ego poſterâ*
*Creſcam laude recens dum Capitolium*
*Scandet cum tacita Virgine Pontifex*
*Dicar quò violens obſtrepit Aufidus,*
*Et, qua pauper aquæ Daunus agreſtium*
*Regnator populorum, ex humili potens*
*Princeps Æolium carmen ad Italos*
*Deduxiſſe modos; ſume ſuperbiam*
*Quæſitam meritis, & mihi Delphicâ*
*Lauro cinge volens Melpomene comam.*

Quid ego, Vir Amplisſime, de Te dicam. Ingenium Tuum ſagacisſimum, ſcientia Tua incomparabilis, artes Tuæ, nunquam ſatis memorandæ, Te jam dudum conſtituerunt celebrem univerſoque terrarum orbi notum, Nomen Tuum famoſisſimum jam æternæ memoriæ libro inſcripſerunt. Libri Tui docto ac polito calamo conſcripti hoc comprobant confirmantque, & adhuc magis comprobabit confirmabitque Methodus Tua aurea maximeq; egregia Cognoſcendi Simplicia Vegetabilia; in quo Tractatu curioſo admodum nervoſè ſubtiliterque Reipublicæ Medicæ triplex vegetabilium ſcrutinium, Grammaticum nimirum, Philoſophicum & Medicum proponis,

ponis, atque in eo tales ſolvere nodos conaris, quales à nemine (quamvis multi hujusmodi materiam primo digiti apice jam attigerint) ſolutos memini. Hac in re corpuſcularis Philoſophia multum auxilii Tibi ſuppeditavit. Perge, Vir Excellentisſime, hoc modo noſtram augere Rempublicam Medicam; vives tùm ingenio Tuo; vives doctisſimis Tuis Scriptis, & Nomen tuum æternitati magis magisque conſecrabitur. Nam

*Regna cadunt, urbes pereunt, nec quæ fuit olim*
*Roma manet, præter nomen inane, nihil.*
*Sola tamen rerum, doctis quæſita libellis,*
*Effugiunt ſtructos Fama decusque rogos.*

Tuo ergò perſpicacisſimo ingenio & præſtantisſimâ doctrinâ commotus, Perſonam Tuam in me diligo, meam in Te amo, laudo Te in arte, artem in Te probo, in natura Te veneror, naturam in Te miror, eruditionem Tuam ſuſcipio, amplector, amo. Vale ergò, Suavisſime Collega, & ea perge, qua inſtituiſti via, ut editis egregiis hiſce lucubrationibus Tuis, & Tibi gloriam ſempiternam parias, & omnibus mortalibus ægris vitam ſalutemque concilies.

*Virtutis, doctrinæ & glorioſisſimæ famæ Tuæ cultor maximè ſtrenuus.*

Matthias Tilingius, Med. D.
Ejusdemque Facultatis in Univerſitate Haſſo-Schamburgica Profeſſor Primarius, Archiater Hasſiacus & Sacri Romani Imperii Academiæ Naturæ Curioſorum Collega, Zephyrus dictus.

Dabam Rinthelii die 17 Julii. 1677.

præloq:

*Nobiliſſime, Excellentiſſime & Experientiſſime*

# Domine Doctor, Amice, Fautor & Collega plurimùm honorande.

VEtuſtisſimum omnique ſeculo notisſimum fuit proverbium: Ardua quæ pulchra. *Plinius lib. 13. hiſtor. nat. cap. 4. & Aul. Gellius Noct. Attic. lib. 3. cap. 6.* palmam arborem eſſe ſcribunr ferentem dulcisſimos fructùs; hos, quia admodum cultellato cortice eſt, difficile eſt contingere. Comparatur huic virtus, ad quam, ut *Silius Italicus lib. 15. de aello civili* cecinit,

*Arduo ſaxoſo perducit ſemita clivo,*
*Aſpera principio* (neq; *enim mihi fallere fas* eſt)
*Proſequitur labor, adnitendum intrare volenti.*

Sed ——— *Mox celſus ab alto*
*Infra te cernes hominum genus.*

Et *Ovidius lib. 2. de arte amandi*, item *lib. 2. de ponto 7.* virtutis viam arduam eſſe, id eſt, virtutem amplecti difficile eſſe cenſuit.

*Ardua molimur, ſed nulla niſi ardua vincunt:*
*Difficilis noſtra poſcitur arte labor.*
——— *Sed tendit in ardua virtus.*

*Innocentius* VIII. Pontifex *Romanus, ut Jacocus Typotius in*

* *Symbol.*

*Symbol. Divin. & Human. Pontific. Imperator. Reg ·pag. 75.* meminit, hoc Symbolum habuit: Ardua virtutum. *Heſiodus* loco impedito pluribus verbis collocat virtutem. A verbis ad jcona. Olea & palma virtutis præmia ſunt.

*Haud levis adſcenſu palma eſt, ſed vertice fructus*
*Præmia perpeſſi grata laboris habet:*
*Ardua virtutis prima eſt via, qui pede forti*
*Pergit, is in blando ſuſcipitur gremio.*

Extat etiam apud *Platonem*, *in Hippia majore, in calce Dialogi*, proverbium elegans: χαλεπὰ τὰ καλά, id eſt, Difficilia quæ pulchrâ. Cui dicto omnes humani actus fidem adſtruunt. Quàm amarè ſerit agricola quod prædulciter metit? Quanto ſudore miles, quam immenſo ſanguine quernam illam coronam, cum militari fremitu, & incondita cantiuncula adipiſcitur? Quanto vitæ diſcrimine Mercator & nauta pontum trajiciunt, merces exoticas petituri? Quàm indefeſſo ac plane adamantino ſudore dulcisſimum illud ſcire conſequimur? Teſtis *Demoſthenes*, quo, ſicut *Plutarchus* refert, nemo unquam laborioſior, nemo per plures obluctantis naturæ difficultates in altum reptavit, qui plus olei quàm vini conſumpſiſſe dicitur, & omnes opifices antelucanâ viciſſe induſtriâ. Hic tandem in dulcisſimum *Muſarum*, excelſo colle habitantium, familiaritatem receptus, id conſequutus eſt, ut Oratorum princeps diceretur, ut Cæſaribus, Regibus & Imperatoribus charus & individuus comes eſſet. Atque hæc omnia labore & induſtriâ, ſine quibus nulla in hoc mundo gloria. Rebus enim maximis difficultatem propoſuit natura. Laudis *Herculeæ* fundamentum labor fuit. Nullâ re magis *Ulyſſes* quàm labore cognoſcitur, quantalibet prudentia fingatur, ſi otioſus fuisſet, latuiſſet. Labor *Romuleos* Duces,

ces, *Scipiades*, *Camillum*, *Fabios*, *Curios*, *Fabricios*, *Metellos*, *Pompejum*, *Julium Cæſarem* aliaque periculis nota nomina, in excelſum Famæ theatrum extulit,

*Et mox æternos animas collegit in orbes.*

Latuiſſent hi, niſi triſtem materiam ſuis virtutibus impleviſſent.

*Hectora quis noſſet felix ſi Troja fuiſſet?*
*Publica virtutis per mala facta via eſt.*

Devoranda hæc ſunt iis, qui ad honorem aſpirant, alioqui quod in adagio eſt: μήτε μῆλι, μήτε μέλισσας, id eſt, neque mel, neque apes. Verè *Plautus in Aſinar.* dixit:

*Fortiter malum qui patitur, idem poſt potitur bonum.*

Quid aliud *Homerum* innuiſſe putabimus per herbam Moly, cui radicem nigram, florem lacteum attribuit, quàm radicis nigræ ſymbolo, laboris moleſtiam ſignificare, quâ pervenitur ad florem lecteum, id eſt, ad floridam illam animi tranquillitatem, virtutis abſolutæ jucundisſimum præmium? Tentanda ergò eſt via. Sic ad aſtra. Labor improbus omnia vincit. Quid non vincit ille? domat ferrum, emollit æs, aurum in ſubtilisſimas ducit laminas, & durisſimum incidit adamantem. Mollis funis motus diuturnitate marmoream etiam putei marginem ſenſim atterit; quâ conſideratione S. *Iſidorus*, cum literis daret operam, ingenii ſui tarditatem ſuperavit. Quod unquam munimentum excogitavit defenſionis amor, quod obfirmata pertinacia non expugnet? Muros etiam denſisſimos validisſimosque ſubruit obſtinatus impetus ferratæ trabis, quam arietem antiqui nuncupabant, à forma nimirum arietini capitis, quam referabat. Caſtrum fulmineo glandium imbre munitum, ſeptum muris, propugnaculis & fosſis, palæ tandem ac ligoni cedit. Animum conſtan-

tem nulla moratur difficultas. Templum gloriæ non in amoëna valle ſitum eſt, neque in delitioſa aliqua planitie, ſed in vertice montis, quò ſubeundum per aſperas ſemitas, vepres inter & ſpinas. Non producit palmas ſolum molle ac tenerum. Templa *Minervæ*, *Marti* & *Herculi* (Diis ob virtutem ſuam glorioſis) conſecrata, non opere *Corinthio* ſeu topiario, variis & elegantibus cælaturis inſigni, conſtructa erant, ſicut dedicata *Floræ* & *Veneri*; ſed opere *Dorico* impolito ac rudi absque ullo oculorum oblectamento: nec aliud eorundem coronides teſtabantur ac Zophori, quàm à labore illa fuiſſe ædificia, non à deliciis aut otio *Argos* navis inter ſidera translata non fuit, quamdiu inter navalia concluſa ſubſtitit; ſed poſtquam Ventis & fluctibus ſeſe objiciens, tempeſtates ac pericula eventu felici ſuſtinuit.

At contrà compendiaria res eſt improbitas, ſitq;, neſcio, quâ naturæ corruptione, ut, quæ turpia ſunt, vel αὐτοδίδακτο, protinus arripiamus. Nam, teſtante *Virgilio*, eſt

*Facilis deſcenſus Auerni,*
*Sed revocare gradum ſuperasque evadere ad auras*
*Hoc opus, hic labor eſt. Pauci quos æquus amavit*
*Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.*

Omne tempus (inquit *Seneca epiſtol. 97.*) *Clodios*, non omne *Catones* fert. Ad deteriora faciles ſumus, quia nec dux, nec comes deeſſe poteſt: & res etiam ipſa ſine duce, ſine comite procedit; non pronum iter tantùm ad vitia eſt, ſed etiam præceps. Egregias quasdam antitheſes ponit virtutis & voluptatis idem ille Philoſophus: Altum quiddam eſt virtus, excelſum & regale, invictum & infatigabile. Voluptas quiddam humile, ſervile, imbecillum, caducum, cujus ſtatio & domicilium fornices & popinæ

ſunt.

ſunt. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, promæris ſtantem, pulverulentam, coloratam, calloſas habentem manus. Voluptatam latitantem ſæpius ac tenebras captantem, circa balnea & ſudatoria, mollem, enervem, mero atque unguento madentem. Hæ verò duæ Divæ ſic comptæ, olim *Herculi* dum in fluxu & lubrico ætatis eſſet, apparuerunt, ſed laborioſam virtutis viam elegit, perquam poſtea in cœlum aſcendit. Cum contrà *Hannibalem* voluptatibus ſeſe devoventem, vitia hyberna ſolverint, & indomitum illum nivibus atque Alpibus virum, exterminaverint. Hâc ergò aureâ gemma hæc conſigno; Quià voluptate incipiunt, in laborem & dolorem deſinunt: contrà qui ab amaro principio auſpicantur, dulci fine clauduntur. Quoniam, ut *Gellius* ait, ſi quid per laborem rectè feceris, labor citò perit, benefactum autem nunquam recedit, ſed ſiquid per voluptatem nequiter egeris, voluptas abit, nequiter factum perpetuò manet.

Non ſolùm autem virtus, ſed quæcunque alia, quæ pulchritudinem certam, firmam conſtantemque præ ſe ferunt, ardua & difficilia ſunt. Materia, Ampliſſime Domine Collega, quam de *Æthiopibus* & eorum nigredinis cauſa in hoc Tractatu ventilas dilucidasque, pulchra quidem eſt, aſt ſuis non caret etiam difficultatibus. Ejusmodi autem difficultates in eo potiſſimum conſiſtunt, quòd de *Æthiopum* origine, ipſorum natura, de *Æthiopia* ipſa, ejus magnitudine, menſura, ſitu, quamdiu illa fuerit clara, de monſtris in ea repertis, de bellis cum *Ægyptiis* geſtis, an pro miraculo quoque habiti, cum primi viſi ſunt, quodnam eorum ſit emporium, quinam lapides pretioſi & non pretioſi in ea regione inveniantur, de *Æthiopici*

maris inſulis ac de ſimilibus aliis non una eademque omnium Hiſtoricorum mens ſit. Res difficilis redditur, quando variè de *Æthiopum* republica, religione & eorum Medicina ſcribitur; nec facilior evadit, cum de eorum nigredinis cauſa phyſicè non uno modo diſſeritur. Plures quidem difficultates poſſem adducere easque etiam reſolvere, ſi labores mei cùm publici tùm privati, quibus maximè hodiè diſtineor, id ipſum permitterent. *Plinius lib. 6. hiſtor. nat. cap. 29. 30. 31. ac in aliis etiam libris & capitibus hiſtor. ſuæ nat. Ptolemæus lib. 4. cap. 7. Ludovicus Cælius Rhodiginus lect. antiq. lib. 16. cap. 15.* & lib. 30. cap. 25. *Ambroſius* de *parad. Stephanus in Lexic. Latin. Alexander Roſſ* in *Speculo Religion. mundi, Phil. Clüverus in Introduct. in univerſ. geograph. lib. 6. cap. 6.* & alii de his omnibus prolixè quidem, verùm non ſine difficultatibus ſcripſerunt. Ex iſtis omnibus ego ſaltem has duas in medium produco. Prima eſt: *Æthiops* primus, qui à ſe *Æthiopiam* denominavit, non fuit *Vulcani* filius, vel ut alii volunt, *Tubalcainus*; hic enim à *Caino* natus poſtea in diluvio vitam amiſit, ſed ego primum *Æthiopem* fuiſſe puto *Cus* filium *Cham*; *Cus* enim in *Hebraica* lingua *Æthiopem* denotat. *Cham* autem & *Cus* non à *Caino*, ſed à *Noha*, tanquam ex diverſa generis linea, proveniunt. *Cus* ergò nihil commercii habet cum *Tubalcaino*, nec hic primus *Æthiops* dici poteſt. Secundum etymologiam ſuam à nigro vultus corporisque colore *Æthiops* non immerito ita dicitur; *ἄιθοψ* quippe ſignificat nigrum. Vel dici poteſt à *Græco* *ἀιθω* ardeo, cremo, & *ὄψ* aſpectus, facies; nam ſolis vicinitate, ex directa nimirum continuaque radiorum ſolis in hanc regionem reflexione torret; eſt enim ibi jugis æſtus. Altera eſt: *Æthiopum* nigritiem multi omninò exuſtioni & ſuperficiali calori,

lori, qui non in corde reſideat, ſed in extremis ſupernatet, putant adſcribendam. Ego hac in parte ad philoſophiam corpuſcularem potius eſſe confugiendum cenſeo. Nigrities enim iſta non exuſtioni alicui externæ & ſuperficiali calori, ſed particulis ſanguinis ſulphureis & ſalinis aduſtis attribuenda venit; quæ aduſtio tamen ad maſſam ſanguineam naturaliter ita accommodata eſt, ut illi ac univerſo corpori nullum damnum inferat; hinc etiam parentibus illis nigris infantes non albi ſed nigri naſcuntur; quod non fieret, ſi exuſtio talis partes tantùm ſuperficiales corriperet. Sed quid diutius hiſce immoror, Tractatus Tuus perpolitus, quem de *Æthiopibus* eorumque nigredinis cauſa conſcripſiſti, ſatis ſuperque hoc ipſum teſtabitur. In ejus lectione cor meum quaſi prægaudio exultabit, & quidem meritò; gazophylacium enim in eo eruditionis Tuæ præſtantis adinveniam. Altisſimus de cœlo, infinitæ ſuæ divinitatis clementia & gratia, Excell. Domini Collegæ conatibus egregiis in ipſius laudem, & Reipubl. Medicæ utilitatem inſignem vergentibus, adſit, florentemque adhuc ætatem ad *Neſtoreos* perducat annos. Vale ad votum, lumen & decus Medicorum.

*Illuſtris Tuæ famæ eruditionisque profundæ Cultor indefeſſus*

Matthias Tilingius, M. D.

ejusdemque Facultatis in Univertate Haſio-Schaumburgica Profeſſor Primarius; Archiater Hasſiacus & Sacri Romani Imperii Academiæ Naturæ Curioſorum Collega, Zephyrus dictus,

Dabam Rinthelii die 17. Julii 1677.

# *Alloquium ad L. B.*

SIſtimus tibi nunc L. B. Æthiopem, ac in eo colorem ejus nigrum examinavimus ac undè ille derivandus ſit varias cauſas hyperphyſicas adduximus, deque qualibet cauſa judicium noſtrum ſubnectere placuit, præprimis vero, ut nunc nil de cauſa hyperphyſica dicamus, quamvis eam penitus excludendam non cenſeamus, cauſa phyſica à nobis deducitur ex philoſophiæ corpuſcularis oraculo, colores quippe aliter à Neotericis, quàm Ariſtotelicis conſiderantur iſtis ſunt certæ particularum modificationes, illis verò ſunt nudæ qualitates. i. e. non entia; nam hoc certum eſt per Modernorum Philoſophorum dogmata, colores dependere à diverſa particularum modificatione, E. g. quare aqua & nix albæ ſint, ita philoſophatur *Hobbes*: Sunt enim corporum diaphanorum minutisſimorum congeries; nimirum bullulæ, ex quarum ſingularum ſuperficiebus convexis ſingula per reflexionem fiunt lucidi totius phantasmata confuſa, i. e. albedo; unde ergo nigrities oriatur facillimè conjicitur; in ſuperficiem enim alba partes extantes gibboſæ ſunt, ut bullulæ, & propterea radii lucis in eas decidentes reflectuntur, itaque ut à corpore reflectente undequaque recedant; ſed in ſuperficie nigra ubi extantes particulæ erectiores fiunt. Tantum L. B. vale & fruere noſtro labore: Brevi Deo volente, *Commentarium noſtrum de Fermento, & Fermentatione ex unico principio Nitro deductum videbis*, & hic fuit noſter labor hiſce diebus canicularibus, in quibus leges à publicis feriari permittunt, ne in otio laberentur dies, & hunc tractatum conſcripſimus aliis feriis omnibus feriis meditabimur aliquid ad publicum. Fave L. B.!

Non

§. I.

NOn omnis fert omnia tellus: dictum eſt veriſſimum veterum, quod nunc hac Docta Mundi ſenecta, qua cuncta Ad Experienitiæ trutinam magnis ingeniorum moliminibus ab Eruditis revocantur, probatur, illud ipſum evicimus alias, verum id ipſum patet ad oculum in Animalium familia, quod quælibet terræ regio ſingularia animalia proferat, ſic noſtra Germania *Leones*, *Leopardos*, *Elephantes*, *Rhinocerotes* ignorat, & quicquid de iis nobis conſtat, ſolum fando ab aliis accepimus vel quando forte iſtæ Belluæ ſpectatum ad nos traducuntur, ut nihil de vegetabilibus hic inſeramus, ſic in tota *India* non eſt *Oleum* olivarum quod à *Luſitanis affertur.* *Hic autem ita cum Natura comparatum eſt, non aliter ac cum aliquo Magno Theatro, quod quolibet die novis imaginibus exornatur, ſic quoque Deus homines ad ſui notitiam & reverentiam devotam alliciendo ſuæ omnipotentiæ ſpecimina edit, dum ea ad Noſtram cognitionem pervenire ſinat, quæ & ultima Thule fert ut exinde diſcamus opera Dei magis magisque admirari devotiſſimè, conſtetque huic univerſo nihil deeſſe, quod ad ejus complementum & per pulcherrimum ornatum ſpectat* quam multa nunc præſens dies de quibus antiqui nefando quidem audiverunt, detexit, & quis novit, quid ſerus adhuc manifeſtaverit Heſperus, terræ auſtralis plagas humana induſtria nondum detexit, nobis nullum omnino dubium, quin adhuc nepotes noſtri terram eam aliquando ingreſſuri ſint, *ubi tunc novum omnipotentiæ Dei Theatrum*

 *aperietur*

*aperietur*, quod & mille linguis prædicabitur, quam bonus Deus ſit! Et quid multis quid noſtra ætas nunc non detegit in iſtis paucis lineamentis humani corporis, in quo multa nunc nobis nota de quibus nihil omnino conſtitit veteribus, è ſexcentis loquatur laudem ſuæ inventionis ſanguis peridromus, credimus tamen id circulationis ſanguinis inventum adhuc majus aliquod arcanum in ſe includere, quod forte ſeculum ſubſequens in ſcenam protrahet, *novæque Lampadis in hoc Microcoſmico Theatro incendendæ, quoad ſanguinem ex caligine emicantes ſcintillulas nos previdere, fateri cogimur*; quippe certum eſt, *Euripum ſanguinis nondum iis argumentis, ut revera circulationem* aliquam *præ ſe ferat, aſtructum eſſe à quoquam mortalium*, ſi enim agrumenta, quibus Medicorum Vulgus ſanguinem peridromum aſſerit, perpendamus, *ſcopæ diſſolutæ ſunt*, & validiori nervo eliduntur, quàm conſtructa ſunt; minimè iis triariis quibus olim Magni noſtræ artis Aſclepiadeæ Achilles id inventum labefactare conati ſunt, oppugrabimus, ſed alii adſunt arietes, quibus ſi Leviſſimè hanc arcem arietemus, concidit, veruntamen ita, ut ex ſuis cineribus *Nova reſurgat lucis phœnix artem noſtram majoribus radiis illuſtratura*: quod hic admonere volumus ut poſteritatem non lateat nobis & aliis ex tenebris Novum artis Medicæ ſolem orientem per lucis ſtricturas innotuiſſe, verum nobis idem adhuc accidit, quod illis qui ſummo mane diſcum ſolis per terræ nebulas intuentur, non invidemus poſteritati tam Nobile cimmelium, & hoc obiter. Qando nunc hi ordinarii divinæ omnipotentiæ præcones non audiuntur, tunc ſolet Altiſſimus Deus ſcelerum vindex juſtiſſimus ſuæ iræ præcones alios ablegare, & hi ſunt vel *monſtra vel cometæ* in cælo

accenſi,

accenſi, uterq; præco noſter Alemanniæ concionatur pænitentiam hiſce diebus; *Monſtrorum* frequẽtia maxima eſt, & contigit nobis hiſce diebus *monſtrum aliquod ovinum* hic loci & ad nos transmiſſum videre, de quo ſuo loco; Cometam & rurſum in cælo ſpectamus, hæc Naturæ inſolita phænomena ex cauſis merè phyſicis velle derivare piaculum eſt, & quamvis cauſis ſecundis in productione Monſtrorum aliquid deferendum eſſe arbitremur; *Cometarum* tamen Geneſis à cauſarum phyſicarum ſerie, quicquid hic etiam ſcribillent alii, quorum argumenta nobis non ignota, minimè dependet, diſtinguendum quippe inter *veros Cometas* & alia *phænomena* ignita forte in cælo adſpectabilia, alii diſtinguunt inter *ſublunares* & *ſiderios*, *ſublunares* dependent ex cauſarum ſecundarum ſerie, *ſiderei* ſunt æterna ſidera in primordio cum reliquo pulcherrimo ſtellarum exercitu facta, modo oriuntur modo iterum ſe abſcondunt, ut æternus jubet creator, eorum vero locus, in quo latent & evocantur per Dei juſſum ſpecialem, eſt via lactea, vel Jacobea &c: vide *noſtr*: *philoſ*: *ſacrã*: *Sed Revertimur* ad propoſitum; Ut nunc nihil dicamus de diverſiorum animorum hominum moribus, vel dotibus, ibi enim quælibet Regio peculiare aliquid oſtendit, poſſunt hic videri Nobilisſimi *Barclai* jcon animorum, & *Huarti* ſcrutinium ingeniorum; *ſic Græci pueri ſemper eſtis, nec quisquam è Græcia ſenex apud Platonem in Timæo ex Sacerdotibus quidam Natugrandis ad Solonem dixit.* Ita *Ægyptii* etiam in ſcriptura ſacra propter ſapientiam laudantur. *Chaldæi* præprimis ſuperſtitioſi &c. Hac Noſtra ætate & præpſertim Noſtri Europæi præqrimis Germani Artis & Martis palmam omnibus gentibus, ne aliis nationibus debitam laudem nunc detrahamus, faciunt dubiam;

at ne nunc iis diutius immoremur, ex hac arca Nohæ Unicam gentem, quam vulgus à Cham Noæ filio impio derivat, paucis examinaturi ſumus, nimirum Æthiopicam, ſed fiet id admodum contractis velis. Sed *obvius Æthiops apertè ferale ſignum fuit* teſte *Floro*. Nimirum abominabantur Æthiopem propter colorem nigrum, qui funebris; ſed non eſt L. B. noſtros Æthiopes ita pro ferali ſigno accipias; qui ſaltem in in Chartis depicti ſunt.

§. 11. *Eupolemi* apud *Euſebium* l: 9: præparationis inſigne fragmentum de Generationibus Chami ex Babyloniorum monimentis depromptum exſtat. Verba ſunt: *Babylonios* dicere primum fuiſſe *Belum* quē Saturnum (ie. Noam) ex illo autem natum eſſe *Belum* & *Chamum*; (*Belum* ie. *Nimrodum*, conditorem ſuæ gentis) Hunc autem (Chamum) genuiſſe Chanaanem patrem phænicum. Ejusdem etiam filium Chum (Chus) *Æthiopum* patrem quem Græci *Asbolon* dicunt & fratrem *Metſraimi patris Ægyptiorum*: Hinc etiam *Chus* patrem Æthiopum facit *Celeberrimus* Theologus *Fridlibius* in ſua Theologia Exegetica p: 46. & in idem ante eum ſtatuerunt *Septuaginta*, *Hieronymus*, *Joſephus*, *Iſidorus* & alii. Et noſter *Lutherus in ſuo commentario in Geneſin* Tom. 1. Nam *Chus* ſunt Æhtiopes, inquit, quos hodie vocamus, tenent non ſolum Mediterranea auſtri, ſed etiam maritima &c. Et hac in ſententia quoque nos acquieſcimus: Alii & ex *Cethuræ* poſteris quosdam Æthiopes deſcendere volunt, quos circumciſis annumerat *Herodotus*, *Hemeritas* illos vocat *Epiphanius* de hac re *vide* §XXIV ſunt itaque *Æthiopes Chami poſteri*. In hoc videmus Celebriores conſentire: ſic enim de iis loquitur Magnus *Conringius* apud Celeberrimum *Oldenburgerum* Theſauri R. P. Tom: 1. Titul: XIII. p. 287.

potiorem

potiorem & latiorem Africæ partem tenent *Æthiopes* qui dicuntur ſua lingua *Choſſii* quod nati una eademque origine â *Chus* filio *Cham*. Quos *Ludæos* eſſe ſatis viriliter evincit Clariſſ: *Bochartus* in ſua *Chanaan* l: 1. c: XXVI. p: 299 usque ad 3, 11. p: ſicque per *Ludim* in ſcriptura intelligi *Æthiopes*, ſicque *Jud* eſſe *Æthiopiam*, hujusque aſſerti argumenta habet decem partim ex ſcriptura ut Eſajæ 66. 19. Gen: IV. 13. Ezech: 30. 5. partim ex Etymologia vocis, partim ex Antiquitatum oraculis, (ut quorum erat Summus *Myſta* incomparabilis *Bochartus*) petita. Idque potisſimum argumentum ab arcuum & ſagittarum armatura deſumptum videtur, quo armaturæ genere reliquis omnibus populis ſuperiores erant. ſic *Jerem*. 46. 9. *Et Ludæi tractantes & tendentes arcum*. Hodie verò *Abysſini* maximam eorum partem conſtituunt. Tantum de origine Æthiopum, poſſemus plura ex Antiquitatibus annectere, ſed contrahimus velum.

§. III. *Et quemadmodum* â ſcriptura depinguntur, fuit gens *Æthiopum Bellicoſisſima* & populoſisſima, cujus arma fuerunt arcus & ſagittæ *Eſaiæ* 66. 19. *Jerem*. 46. 9. Et vetus author apud *Suidam* de *Semiramide* narrat & in ſingulos Camelos duos impoſuit Æthiopes, qui ſagittas & jacula mitterent. *Strabo* de *Mauruſiis* & *Nigretibus* l: 17. *Arcu* utuntut inſtar *Æthiopum Heliodorus* l. 9. â quodam *Æthiope* arcu trans fixus Neque illi arcus è vulgo fuere, ſed vaſti admodum. *Agatarchides* utuntur autem *Æthiopes* in bellicis periculis Magnis *arcubus*. Proinde licet etiam arcus perſici prægrandes fuerint, quod diſertè ſcribit *Xenophon* l. 3. anabaſ: tamen Æthiopum arcus *perſicis erant majores*. Unde eſt quod apud *Herodotum* l. 1. c. 7. de *Mari rubro Rex Æthiopum Macrobiorum* arcum ſuum *Cambyſis*

 legatis

legatis oſtentans, ipſique adeo *Cambyſi* donò mittens; *Arcum hunc*, inquit, illi offerentes hæc dicite *Rex Æthiopum Regi perſarum author eſt ut tum demum In Æthiopes Macrobios bellum moveat, cum perſæ tam facile trahent arcus tantæ Magnitudinis.* Nempe *Carduchorum* arcus quos *Xenophon* è perſis rediens deſcribit tanquam maximos, trium ad ſummum cubitorum fuerunt: *optimi*, inquit, erant ſagittarii, habebant autem arcus ferè tricubitales. At Æthiopum arcus integro cubito longiores, ie, quatuor cubitorum fuerunt. *Herodotus* l. 7. *Arcus* ex palmarum ſpahis gerebant, quatuor non minus cubitis longos. *Strabo:* l. 17. *Utuntur etiam Æthiopes* quatuor cubitorum arcubus è ligno præuſto. *Heliodorus* l: 3. *Armantur* arcubus ligneis quadri cubitalibus, quibus pede admotis jaculantur. De *Sagittis* idem *Herodotus Arcus habebant* &c. Quatuor non minus cubitis longos, parvas item ex arundine ſagittas, quibus pro ferro lapis erat acuminatus, quo ſigilla ſculpunt. *Agatarchides*: *utuntur Æthiopes* Magnis arcubus, brevibus autem ſagittis: In extrema porro arundine pro ferro funibus conſtrictus firmatur lapis forma oblongus acutus ſupra modum; *Fuit Gens* præterea *Crudeliſſima* & *terribiliſſima* & in Æthiopum jaculatione nihil fuit tam terribile, quam quod mors ex vulnere præſentisſima ſequebatur, nempe acutus ille lapis, quod in ſagitta præſtabat ferri vices, erat venenis Lethiferis tinctus. Quod præter Agatarchidem & *Theophraſtum* l: 9. c: 15. hiſt: plantar: etiam *Cyrillus* refert his verbis, *veneno* autem pernicioſisſimo eas (ſagittas) inungentes, in hoſtes ejaculantur, atque eos ſi tetigerint, qui per cuſſus eſt omnino moritur, & perinde ac qui morſus eſt à vipera repente concedit: Hinc *Claudianus* Stilicon: l: 1. *panegyr.*

Æthio-

——— ——— *Æthiopum geminata venenis*
*Vulnera* ——— ; ——— ———

*Draconum* ſcilicet Venenum in eum uſum adhibebatur. *Heliodorus* : *parvis* quidem ſagittis, ſed veneno Draconum infectis jaculanres, acerbum & præceps mortis genus inſerebant. *Silius l. 1.*

*Aut hydro imbutas, bis noxia tela, Sagittas.*

*Plinius* l. 29. c. 4. *Aetius* Tetrab. 4. Serm. 1. c. 34. & alii Draconem Venenum habere negant. Unde eſt quod noxias herbas ideò leguntur edere ut morſu ſuo plus periculi creent. *Ælianus* : *cum homini* aut feræ cuipiam moliuntur inſidias, mortiferas radices edunt; Sed ut ut de Græciæ Draconibus ita ſcribatut, tamen Africæ Draconibus virus ineſſe lethiferum ſcribit *Leo Africanus*: proinde *Moſes* in cantico *Venenum* Draconum vinum eorum. Et Poëta *Lucanus* Eleganter ut ſolet l. 9.

*Vos quoque qui cunctis innoxia numina terris,*
*Scriptis aurato nitidi fulgore Dracones,*
*Peſtiferos audens facit Africa.*

nobis tamen veriſimiliter videtur Sententia *Theophraſti* : *in Æthiopia*, qua Sagittas jungunt, radix quædam mortifera eſt. *Plin.* l. 6. 29. 21. *Arabes Aſùtæ* appellati piraticam exercent ſagittis venenatis. Morem illum necdum exſoleſcere apud Indos ( qui ab uno & proavo *Cham* originem trahunt ) argumento eſt, quod *Pontanus Amſtelodamenſis* 2. 24. ſcribit Anno Chriſti 1595. *Batavis* ad *Bantam* accidiſſe *noſtrorum* haud pauci Sagittis illis venenatis icti, niſi carne & cute, in totum exciſa, curari potuerunt. Et mox ubi de *Bali* inſula : *Armigeros* regios prælongas haſtas pugionesque flammiformes inauratos habuiſſe; & cannas, ex quibus ſagittas efflarent cuſpide venenatas. Item de armis

*Banten.*

*Bantenſium*, Arma ſua poliunt toxicoque plerumque in hunc finem inficiunt, ut vulnera letalia percusſis infe-rant. Apud *Reineccium* in hiſt. *Henric.* Leonis ex ſupple-mento Arnoldi c. 4. *Servi* tela habent toxicata & quicquid vulneraverunt, mortem evadere non poteſt. Adde *Ælian.* 9. 15. 9. *Leonis* Tactica c. 18. tmemate 108 de *Slavis*: *Sagittas* habent veneno imbutas efficacisſimo. Niſi enim, qui pla-gam accepit, vel theriacam bibat, vel aliud aliquod ſalu-tare præſidium, vel ſtatim plagam omnem præcidat, ne latiùs ſerpat, univerſum corpus pereat neceſſe eſt. *Chri-ſtianos* Principes hoc non abſtinuiſſe artificio intoxicandi arma exemplum præbet infelix *Johannes Comenus*, qui cum Aprum recto venabulo percuſſum, ſuſtinere non pos-ſet, de ſua ſibi pharetra procedente Sagitta vulneratus in-teriit, uti narrat *Nicætas Choniates*. Occidentales etiam gentes hac immanitate uſas docet *Sulpitius Alexander* de Francis ſcribens: Romani, Quintino duce, ingreſsi ſaltus pervagati ſunt. Tandem cum ingentibus ſeptis omnia à ſolido clauſa inveniſſent, in paluſtres campos prorum-pere molientibus, hoſtium rari apparuere, qui conjun-ctis arborum, truncis, vel concidibus ſuperſtantes, velut è faſtigiis turrium ſagittas tormentorum ritu effundere, illitas herbarum venenis, ut ſummæ cuti nec lethalibus inflicta locis vulnera, haud dubie mortes ſequerentur. Et recentior ætas exemplis hujus immanitatis non caret, quamvis Chriſticolæ audire velint; quæ crudelitas contra jus Gentium: de qua ita *Hugo Grotius* de J. B. & P. l. 3. c. IV. §. XVI. *Sed hoc quoque contra* Jus eſt Gentium, inquit, non univerſale ſed Gentium Europæarum, & ſi quæ ad Euro-pæ melioris cultum accedunt, quod rectè à *Salisberienſi* ob-ſervatum eſt, cujus hæc ſunt verba: *nec veneni*, licet vide-

am

am ab infidelibus aliquando uſurpatam, ullo unquam jure indultam lego licentiam. Ideo *ferrum* infamare veneno dixit *Silius*. *Accedit* & apud aliàs gentes Barbaras hunc morem infamandi ferrum fuiſſe uſitatum. De *Getis tradit Ovidius*, de *Scythis* Plinius l. xı. 53. *Scythæ* ſagittas tingunt viperina ſanie & humano ſanguine: irremediabile id ſcelus mortem ilico adfert Levi tactu. *Philoſtratus* l. 6. c. 12. & in phot. 1015. *Noſamones* verò & Anthropophagi, & Pygmæi, & Sciapodes, ſunt & ipſi gentes Æthiopum, pertinent autem ad Oceanum Æthiopicum. Sic in *Plinii* loco de vario victu Æthiopum, poſt Agriophagos & pamphagos, recenſentur Anthropophagi humana carne veſcentes. In *Solino* item: *Antropophagi.* quorum mores vocamen ſonat. Sed & *Ptolomæus* expreſsè, ubi de Sinu inter Africam & Memithiam (hodie S. Laurent. Inſulam vel Madagaſcar) hunc porrò Sinum circumhabitant Æthiopes Anthropophagi: Ita etiam *Marcianus* p. 42. Tantum etiam de moribus Æthiopum juxta veterum hiſtoriam.

§. IV. *Æthiopia* hodie duplex eſt Africana, & Aſiatica: vel etiam dividitur in interiorem & exteriorem: interior *Æthiopia* eſt Vaſtum illud Imperium *Habaſſenum*. *Æthiopia exterior* eſt, quæ ad Oceanum in extrema Africa ultra lineam æquinoctialem poſita, regna hodie præcipua Congi, Monomotapam, Zangiber & Ajan habet: *interior*, quæ cum Habaſſeno à Septentrionibus Ægyptum habet, à meridie Æthiopia exteriore, & lunæ montibus eſt munita, atque ab ortu ſinu Arabico, ab occaſu verò Nigritarum regione terminatur. *Æthiopia Aſiatica*, ut in qua parte mundi quoque vivunt Æthiopes: Sed illi eo ſunt delati, ut præſtent ſervitia. Namque ſolent mancipiorum more iterum vendi. De *Americanis* Æthiopibus ſic loqui-

in *Azam* Regem Judeæ adduxit decies centena millia militum Chronic: XLV. 9. Alter *Tirhaka*, qui *Senacheribum* in *Judæa* adortus fuit. II Reg. XIX, 9. Hujus *Strabo* l. & XV *Georg*: & *Megaſthene* meminit eumque ſuperatis *Herculeis* columnis Europæ victricia intuliſſe arma tradit, id quod in credibile videri non debet. Cum enim Arabia, *Ægyptum* & *Æthiopiam* tenuerit, æque ipſi facile fuit, emenſa Africa per fretum Gaditarum in Hiſpaniam irrumpere, ac poſtea Saraceni in *Syria*, *Arabia* & *Ægypto* regnantes fecerunt. *Præterea* de priſcis Æthiopum regnis nihil fere conſtat, niſiquæ de Rege Macrobiorum Æthiopum apud Herodotum exſtant. Idem tradit *Sabaconem Æthiopum Regem* Ægyptum occupatam quinquaginta annis tenuiſſe. *Diodorus Actiſanem* Æthiopum Regem Ægyptum ſibi ſubjeciſſe. *Abysſini* evulgarunt catalogum Regum Æthiopum inde usque â *Chuſo*,, ſed qui ut fabuloſus, rejicitur. Neque certioris fidei ſunt quæ de Moſis in Æthiopiam expeditione ex Artapano & Helleniſtarum Lacunis Joſephus refert, ita judicante *Bocharto*. IV. phaleg. 25. Et præterea de Moſis Expeditione in Æthiopiam, & quod Æthiopum copiæ ad internecionem ſint datæ, quandam adhuc traditionem & hiſtoriam apud ſe ſervari tradunt *Abesſini*.

§. VI. *Sed* ad *Abysſinos revertimur: de quibus* hæc pauca ex Nobiliſſ: *Oldenburgero* p: l: Theſ: R. p. p: 790. aſſerimus: incolæ hujus Regionis Nigri ſunt, & omnis doctrinæ rudes (contrarium tamen nos hic legiſſe recordamur) Habitus illorum ex pellibus aut panno gosſipino eſt; ditiores pelles ovium; Magnates Nobiliores *exuvias Leonum & tygridum geſtant*. Ædes humiles inhabitant, quæ exigui prætii ſunt. *Portas illarum ſemper habent apertas, ſed nemo in alterius ædes ingreditur*. Multi Crudam boum

Carnem

Carnem comedunt: (Et hic non conſentimus, uſum ſanguinis horrent) Monetæ uſum ignorant, pro quo certo pondere aurum dant. Ingenio præditi ſunt ſummè lento & tardo; & apud ſe provenientes res in nullum uſum convertere norunt. Potentiores miſeram plebem cum magna habent ſeveritate. Characteribus inſcriptura utuntur multo pulchrioribus, quam Arabes aut Turcæ Nunquam niſi per Regis vitam, jurant. Nigrum veſtitum niſi in luctu, nunquam induunt. Mortuos per quadraginta dies deplorant. Ætatem nimium ſeram non attingunt, quæ ipſis intra 40. annum finitur: Et hic Contraria novimus exempla. Facinora graviſſime puniunt, præprimis adulteria, Mechos in utroque ſexu de arboribus ſuſpendunt capitibus terram verſus foco ſubſtructo, inque horum criminum coercitione nullam perſonarum prærogativam agnoſcunt. *Quotannis* Muhamedani vel Turci partim ob Chriſtianæ religionis, quam Abysſini profitentur, odium, partim ſpe lucri exteriora hujus Regni territoria depopulantur, munitas urbes vel arces præſidio murorum firmatas, præter unicam, ad quam Regis & Magnatum liberi ut illic in Theologia ſua, Mathematicis & politicis diſciplinis Erudiantur, neque prius exinde, quam quando ſceptris vel Regimini ſint maturi, evocantur, mittuntur, ad quam etiam quotannis Semel *Præſter Chan*, hoc nomine illorum Rex venit, proficiſcitur: non habent. Et preter illas depopulationes Turcarum proximis annis â Rege Adela, ſeditioſo illo & perfido maxima imperii parte ſpoliati ſunt; Vicinorum injuriis non adeo forent obnoxii, ſi muris & propugnaculis urbes ſuas cingerent; & non obſtat quod ille politicorum Hæreticus *Machiavellus* l: 2. Diſſert: politic:

 c. 24.

c: 24. neget cui calculum ſuum apponit *Jacobus Martini* Cent: 2. Diſp: 5. q. 9. Cæteroquin ſuos proreges Deſpotico imperio regit, & ſatis abſolutè *Præte-Chan* Dominatur juxta populorum orientalium morem, qui non aliter aſſveti; quod omnium optimè *Deſcribit* politicorum *Ariſtoteles Arniſæus* ſuæ patriæ *Halberſtadii* Decus, & *Academiæ juliæ ſtella* coruſca c: 3. *De Republic*: ſect: 5. §. 22. Abysſinorum Rex inquit, non minori in ſuos utitur autoritate, quippe â quibus colitur, tanquam divinum *quoddam* numen, ſat *Beatos* ſe judicantibus, modo pedem Regis dimotis *plagulis*, contuendi copiam habeant. *Flagellati* gratias agunt, quaſi beneficio affecti: bona omnia fiduciæ nomine à manu principis recipiunt precaria, & quotannis juramentum fidelitatis repetunt: *Subditos* nemini habere licet præter *Regem*: Ex ſingulis familiis tertium quemque filium debent ſatellitio Regi, ſeu militiæ *S. Antonii* &c p. 571 *Atque adeo* dominatus pervagatus eſt univerſum orientem; hosq; fulmen maledictionis *Canaan* & *Cham* factæ premit; & bis etiam repetitur maledictio *ſervitutis* in *ſacro textu*, ſimile exemplum non habemus in Scriptura, quod eſt evidens teſtimonium *Cham* & *Canaan* poſteros orientem tenere. Ex *Cham* ſunt illi *fuſci*, quales *Combayenſes*, & Indi Septentrionales qui littora habitant. Et *Flavii* ſunt Decanenſes, & *Canaræ*, qui mediterranea tenent. Et Buxii *Nigritæ* præprimis *Abesſini* ſunt ex *Canaan*. Adde, inquit *Grotius* de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. VIII. *Quod ſicut Ariſtoteles dixit, quosdam homines natura eſſe ſervos*, i. e. ad ſervitutem aptos; ita & populi quidam eo ſunt ingenio; ut regi quàm regere norint rectius. Sic *Philoſtratus*, vita Apollonii ſtultum eſſe ait, Thraces, Myſos, Getas in libertatem vindicare, qua non gaudent;

Et

Et ſic cum Abysſinis & omnibus nigritis comparatum eſt: fulmen illud maledictionis, quo in ſervitutem ſunt damnati; omnes tangit in mille Generationes etc. & immerito *Ariſtoteles* vapulat ſtatuens dari ſervos natura: tales ſunt revera *Abesſini* & *Nigritæ*, ut alias latius probaturi ſumus. Apud *Livium* Syri & Aſiatici genera hominum ſervituti nata à quo non diſcrepat illud *Apellonis* apud philoſtratum Affines *Asſyri & eandem* Dominationem etiam adorant. *Euripides* in Helena.

Sunt præter unum Sacra cuncta in Barbaros.

*Tantum heic*: plura in noſtris politicis exercitationibus.

§. VII. *Abesſini Maximam partem ſunt Chriſtiani*: *Cophitæ* & *Abesſini* in Doctrina, cerimoniisque plane conſentiunt, ac utrique ſunt *Jacobitæ*. Quare hodie quidem non niſi tres præcipuæ orientalium ſectæ à Græcis diverſæ fuerint. Una *Neſtorianorum*, qui, ſub patriarcha ſuo in urbe Mueſal reſidente, per Babyloniam, Meſopotaniam, Aſſyriam, Parthiam, Mediam totamque Cathajam latisſimè diffuſi eſſe dicuntur. (Etſi horum quoque pars, ſed exigua Romanum Pontificem agnoſcant ſeque ſubjiciant) altera *Jacobitarum*, (quos nonnulli, ſed perperam vocant, cum *Eutychem* diſertè damnent) pariter in Meſopotamia (ubi in urbe Ceramit patriarcha ipſorum reſidet) itemque in Babylonia & palæſtina (ubi patriarcham Hieroſolymis, ſed Caramitenſi, qui ſe Antiochenum vocat, ſubjectum habent) inſulaque Cypro: & ſub nomine Cophitarum in *Ægypto* (ubi in urbe Cairo patriarcha ipſorum *Alexandrinus* habitat) ſub Abesſinorum denique nomine in utraque Æthiopia (ubi & ipſi ſuum patriarcham habent, quem *Abuna* vocant, quoque â jacobitis quidem, Monachis *s*. *Antonii* Hieroſolymæ degentibus, eligi, â

patri-

patriarcha verò Jacobitarũ Antiochenõ confirmari ſolet;) viventium. Tertia denique Armeniorum, quorum etſi propria ſedes utraque Armenia (ubi ſuos Patriarchas habent) cum Cilicia ſit; paſſim tamen per orientem, magnamque occidentis partem ſparſi reperiuntur, Mercaturam exercentes; adeo ut etiam Patriarcham qnendam Hieroſolymis, & alium prope Aleppum habeant. Ita Abysſini ſunt Chriſtiani, taleque *regimen Eccleſiaſticum habent: Præſtar-Chan* (quod alii vertunt Rex mancipiorum) Abysſinorum ille Imperator Epiſcopatus, & beneficia Eccleſiaſtica, non Patriarcha confert; & mortuo Patriarcha, *omnes ejus proventus, bonaque ad ſe rapit. Patriarcha* ſolum Eccleſiaſtica curat, templis maximum præſtant honorem, in quæ nullum canem, nullum *Turcam* admittunt, neque etiam in iis oris nariumque ſordes projicere licet, eaque diviſerunt in ſanctum ſanctorum, cui velum prætenſum, hocq; ſingulis annis aperitur *Sanctum*; & illi velum prætenſum, hoc diebus ſacris patet, & atrium; Stantes templis interſunt &c. *Plura* de horum Religione videri poteſt apud *Damianum à Goes Equitem Luſitanum*, qui confesſionem fidei æthiopum, factam à Legato Imper. Æthiopum Davidis ad *Johannem III. Portugalliæ Regem, Chriſtophoro Licanaro*, patria lingua dicto *Zaga Zabo* Anno CIƆ IƆ CXXXIV. *Edoardum Brerewodum* in Scrutinio Religionum c. XIV. qui pro certo affirmat, *Abysſinos Jacobitas Religione eſſe. Johannem Hornbeck* in ſumma Controverſ. l. XI. ſub *titulo* De Græcis p. 956. 957. 958. 960. 961. *Matthæum Dreſſerum* Lipſienſem, de Eccleſia Æthiopica. *Bernhard: Varenium*, libello de diverſis Gentium religionibus. Et loco cautelæ ex eodem *Hoornbeek* apponimus d. l. p. 958 *Neque eſt*, inquit, *quod in illorum cognoſcendis ſen-*

*tentiis*

*tentiis doctrinisque Pontificios ſcriptores, Alphonſum Caſtrenſem dico, Prateolum, aliosque horum ſectatores cæcos, inter quos & Bzovius, tuto conſulas vel ſequaris, niſi in iis quæ contra ipſos, ſolitos omnia ex placito papatus ſui æſtimare, & pro hujus genio ac indole hæreſes interpretari, non ex veritate. Sed & hinc ſui carcinomatis curam palliativam quærunt: Pontificios* odio habent, & ut refert *Johannes Maffæus* hiſt. indic. l. ultimo ſub finem, quod quando juſſu Regis *Abysſinorum* Patriarcha diſputaturus eſſet cum *Jeſuita Rhoterigio*, id non ſolum abnuerit, dicens *nullum ſibi cum hæreticis commercium ſermonis eſſe*, ſed Regi etiam graviter interminatus fuerit, ſi legere illorum ſcripta pergeret. Religionem Chriſtianam amplexi ſunt ſub Juſtiniano I. Imperatore tumque illorum Rex Æthiopum Axunitarum fuit *Adad* ſeu *David* ad fidem converſus: â quo tempore illa Æthiopia inter medias Mahumedismi & Gentilismi religionem Chriſtianam profesſi ſunt. Cateroquin ſe per *Eunuchum*, cujus cap. 8. Act: mentio fit, Reginæ Candacis *Theſaurarium* vel Camerarium potius, â Philippo Baptizatum, Chriſtianam religionem primitus inter eos eſſe plantatam, gloriantur Abysſini.

§. IIX. *Sunt & alii Æthiopes* Chriſtiani, quorum Regnum ſatis exiguum & paupertate ſplendidum, quorum Rex aliquando ad Magnum Mogol legatos miſit, qui loco doni cornu aliqod grande Tauri odoriferis impletum, & equi exuvias in mollitie ſerici æmulas obtulerunt, ſplendidum munus Regium; & pro pecunia ipſis â Mogol allata induſia pro ſuo Rege, Regina, & juniore principe emerunt. Hique Æthiopes ad Turcicam Religionem inclinant, & â Magno Mogol qui & Eraſmi Turcarum religionem ſequitur dono libros Turcicos acceperunt.

§. IX. *In Regno Manomotapæ* dantur etiam Æthiopes, non ſunt idololatræ; ſed unum Deum venerantur, quem *Mozimo* Vocant, Mahometis vero ſecta illas etiam pervaſit oras, quæ iuductos Chriſtianos & patrem *Conſalvum* occidere jusſit. Principi nunquam niſi in genua procumbentes ſerviunt; in conſpectu illius ſedere, non niſi præcipuis integrum eſt. Celeres curſu ſunt, adeo ut equos curſu vincant, polygamiam cum orientalibus populis habent communem. Hic Monarcha retinet apud ſe omnium Vaſallorum ſuorum hæredes, ut ipſi eo magis fidi ſint. Nulli hic reperiuntur carceres; quod cauſæ in inſtanti pro commiſſa culpa per teſtimonium decidantur. Nullum verò crimen atrocius caſtigatur, quam veneficium, furtum & adulterium.

§. IX. *Regio Congo* etiam Nigros fert incolas, quamvis Nonnullæ fæminæ lutei ſint Coloris; Magnam Regi ſuo exhibent Reverentiam, viasque, per quas incedere debet, omnes magna ſollicitudine verrunt. Multi Magnates hic currunt, ſed Regem pro abſoluto omnium, quæ posſident Domino agnoſcunt. Nemo toto reperitur regno, qui aliquid proprii posſideat, aut de ulla re in favorem ſuorum diſponere queat, cum omnia Regis ſint, qui pro arbitrio ea dat ac adimit, cui vult, eique legi etiam liberi Regii parere coguntur. Victus illorum ex variis fructibus, piſcibus & carne eſt; præcipui inter eos ſoli, in ſtragulis cibum capiunt, excrementa nunquam interram projiciunt, (id grande peccatum exiſtimant:) ſed in foramen ſat largum in terra factum. Omnes diverſarum virtutum herbas optime norunt; ac ſibi quisque Medicus & Chirurgus eſt. Quanquam ſcintilla Chriſtianæ Religionis in his etiam oris gliſcat, multis tamen

men idololatriis repleta quorum quidam ſolem tanquam lunæ maritum pro ſupremo Deo colunt, lunam ut uxorem ejus ſecundo loco venerantur. Quidam Animalia ſimilia Draconibus adorant, alii terram ut matrem ac Nutricem omnium rerum: Verbo tam ſtolidis erroribus imbuti ſunt, ut neſciant, quid credant. Accepit verò Regnum Congo religionem Chriſtianam opera *Johannis Secundi Regis Portugalliæ.*

§. x. *Omnium Æthiopum* Regna vel Inſulas proſequi non patitur ratio inſtituti, ſolum de Inſula *Madagaſcar* dicimus & illic naſci Æthiopes, ſunt Mahumedani, nullum habentes Regem, ſed quatuor Senioribus per totam inſulam parent, inſula hæc inter Majores & ditiores Mundi computatur inſulas, ita ut continere dicat in Gyro quatuor millia milliarium. Incolæ veſcuntur Carne Camelorum; quidam & *Locuſtis*, hinc etiam ex horum cadaveribus *locuſtas renaſci conſtans fama eſt*. De Reliquis *Æthiopibus* conſule *M. Pauli Veneti Itinerarium*, in quo multa lectu jucundisſima inveniuntur. Quoniam hic *locuſtarum* injicitur mentio, quæ etiam dicuntur alimentum præbuiſſe *Johanni* Baptiſtæ Chriſti Anteambuloni; Et hoc multis videtur abſurdum, *locuſtas* comediſſe Johannem, (ut *ſacer Textus habet Matth*: c. 3. verſ. 4.) igitur varias loci hujus, quem corruptum putabant, medelas quæſiverunt. *Strigelius* in *hypomnemate* ad h. l. ἀκρίδες interpretatur cancros, quos piſcatores in ripa jordanis abjicerent in eſum appetitos â *Johanne*. Sed multa obſtant huic Sententiæ, quam & *Philippus Melanchton* in expoſitione h. l. ſecutus eſt. Nam (1) Græci nullum genus cancrorum ἀκρίδας vocant. (2) cancri non innaſcuntur fluvio, qualis *jordan* erat ſed piſces marini ſunt; *Altera* ſententia

eſt *Cujacii JCti* in obſervationibus, qui *ἀχεράδας* legi vult, ut notentur mora ſylveſtria. Verum corruptionem iſtam admiſſam eſſe dicere, vetant omnes Codices Græci, qui ſummo Conſenſu *ἀκρίδες* legunt, *Tertia Sententia* eſt *Iſidori Peluſiotæ*, qui emendat *ἀκρεμόνας* l. 1. Epiſt. quomodo nominantur ſummæ partes olerum. Sed quod antea dicebamus, non eſt licitum corruptionis dicam ſcribeɹe originali textui, qui in omnibus exemplaribus Græcis ſibi conſtat. Retinenda eſt igitur ſignificatio uſitata, de locuſtis, quas in eſum acceptas *Johanni* fuiſſe nemo admirabitur, qui cogitaverit, eſculentas fuiſſe beſtiales illas, ut in *Levitico* ſcriptum eſt c. XI. 22. Adhuc hodie in locis multis *Africæ locuſtæ* fumo induratæ comeduntur, ut *Cleonhardus* in Epiſtolis Belgicis docet, teſtis oculatus. *Dioſcorides Locuſta* Afros uti ait qui ad *Leptin* colunt l. 2. c. 57. Inter Recentiores *Leo Africanus* poſtquam multis diſſeruit, quanto agmine *Africam* plerumque invadant, ut volantes inſtar *nebulæ* ſolis radios operiant, arbores ipſas pariter cum frondibus ac fœtu abſumant tandem; verum *Arabiæ* deſertum & *Cyliæ* populi adventum eorum pro felici habent omine, inquit: Nam vel elixas, vel ad ſolem deſiccatas, (ſic Johannes iis veſci ſolitus) in farinam tundunt, atque comedunt. Vide plura hac de re apud *Lutherum Tom. 3. Jenenſ. Germ.* p. 313. *Camerarium in horis ſucciſivis* Cent. I. c. 13. *Druſium in præterit.* ad h. l. & *Johannem Dietericum in antiquitatibus Biblicis* quibus & conſentit *Friedlibius*. Et quid miramur id adeò, quod toto die palam eſt, quomodo nunc homines non locuſtis ſolum in Orientalibus plagis, ſed & occidentalibus *ranis* veſcuntur, ut nihil de aliis dicam, quales ſunt, *cochleæ* quædam, quas delitiis annumerant, *Tinca* avidiſſimè à quibusdã comeditur

tur, quæ tamen merus limus Lentore obductus, ut lubricitate captantium eludat manus, excrementitius valde, nec ſucci habet bonitatem, neque ullam in edendo voluptatem, ideoque ab ægrorum menſis damnanda teſte *Godefrido Steegbio* l. II. Medic. Theoretic. c. XIX. p. 56. De *Anguillis* quoque nihil addimus, quæ habent Magnam (excepto veneno) affinitatem cum ſerpentibus, & cum eis coëunt, harumque uſu tradunt homines eſſe exſtinctos, cujus rei hiſtorias aliquot adduximus in noſtro *Anthropogeniæ Prodromo* ante biennium & quod excurrit publici juris facto Stadæ.

§. XI. *Æthiopum colorem* & quidem nigrum, cujus gratiæ telam hanc exorſi ſumus, nunc examinaturi, *Æthiopum* nomine verò generatim complectimur quicquid populorum ſubnigricante colore ſive fuſco quales ſunt Arabes & Mauri, quos nos *Witte Mooren*, & *atros*, *Carbonum* inſtar (hos in ſcenam ſpecialiter producimus, de quibus & nos intelligi volumus in iis locis, ubi apertè non fit mentio) quales Afri inferiores à *Nigir* fluvio ex *Ginea* uſque ad caput bonæ ſpei & extremos Æthiopum, qui nautis Batavis Strantlopers & *Hotetot* à Glocitante ſermone vocantur. Indi utriusque coloris fuſci & atri ſunt; communi nomine *vocatur* à colore incolarum *Nigritania*, quoniam ejus incolæ *Nigritani* ſive *Nigritæ* à colore atro ſive carbonaceo, in *Genere* verò Æthiopes ut dictum in coloribus variant, & confer: §. VII. Variorum colorum etiam inter Æthiopes conſpicuorum recenſu prolixo nunc ſuperſedemus, fiet *aliàs*; *ſolum Nigritas* contemplaturi: Alii quippe prorſus atri ſunt, & hi ſunt verè *Nigritæ*: Alii habent colorem inter fulvum & nigrum. De Judæis dicitur in Gloſſa Miſna tractatu Sanhedrin fol: 18. ſunt ut *bu-*

*xus* (tradimus latina juxta verſionem *Bocharti*) *nec nigri nec albi.* Et *Martialis* ita deridet *Maximina vetulæ* dentes buxeo concolores.

*Et Tres ſunt tibi Maximina dentes,*
*Sed plane piceique buxeique.*

De *incolis* Provinciæ *Thomæ* M. *Paulus Venetus* l. 2. c. XLVIII p. 106. M. *Viri & mulieres* ejus ſunt Elegantis formæ: tametſi *bruno* ſint *colore.* Et quemadmodum Germani pro ſingulari pulchritudine habent, quo vultus quam maxime albeſcant, & fæminæ præcipue virgines variis pigmentis vultus colorare imo adulterare ſolent, ut videantur Candidæ, inque eum finem cretam & alia & ſæpius cum maximo valetudinis diſpendio edunt, oleum *Talci terræ ſtellæ* maximum coſmeticum cenſetur; in eodem pretio & honore apud *Æthiopes* eſt color ater, & qui quam maximè atri ſunt, ut fere nigredine ſua ſplendeant, habentur formoſiſſimi: Nigerque color & apud Ebræos fuiſſe in maximo non incongruè colligitur exſponſæ verbis in *cantico.* c. l. 5. *Nigra ſum* &c: ut *tentoria Kedar.* An hæc ſponſa formæ ſuæ præſtantiam â nigredine hic commendet, vel an potius ſuas miſerias & calamitates, quibus cruciatur, hoc Theoſophis Definiendum relinquimus. *Nigra ſum ſed formoſa, filiæ Jeruſalem, ſicut tabernacula Cedar;* Sicut *aulæa Salomonis.* h. e. *Nigra ſum* ſicut tabernacula Cedar ſimul tamen formoſa ſum ſicut aulæa Salomonis vermiculata & Regia: *pulchrè* & nervosè id Explicat ut ſolet *Celeberr. Friedl. in ſua Theol: Exegetic: Claſſ.* 7. *Quæſt.* 5. p. 747. Summatim *Color* niger eſt *Color* conſtans, alii colores cito mutantur, hic non ita.

§. XI. *Cutis hujus Æthiopum nigredinis cauſarum* ſatis amœnum jucundum, & curioſum, ſed tamen laborioſum

ſum *ſcrutinium* inſtituere poſſem*9*, ſi omnia huc trahere esſet cupido, aut quædã voluptas exſcribendi juxta quorundam *morem* invaſiſſet (ſunt *vero duplicis* generis illi literarum plagium committentes, *alii apertè* tam *belli bellè bella* exſcribunt, ut & cuilibet *plagium* iſtud in oculos incurrat: *Alii* hic aliud artificium callent ea, qnæ in ſuam transferunt ſupellectilem, (1) *adulterant* (2) *verba* autorum transmutant, (3) *alia phraſiologia*, quam autores, quorum plagium committunt, uſurpant, utuntur; ſicque ſæpius *pulcherrimos ingenii fœtus purpuræ ſplendore amictos*, ſuis *ſqualidis involvunt Veſtibus*, hic tunc ferè quilibet *illorum hominum* admiratur *bellas* elegantias, res ſcriptas, verum ſi quilibet repetat ſuum, ſatis caro pretio chartam emit lector, & hæc eſt non minima *litteratorum* in *Germania* peſtis, de qua quædam ſcripſimus in Noſtra *Mantiſſa Antihoffmanniana* ante quadriennium *Bremæ typis exſcripta*.) poſſet quidem videri hic labor *Domitiana* quæſtio; Et ut dicamus quod res eſt, libentisſimè hoc labore ſuper ſederemus, niſi Magnus quidam patronus mentem noſtram hac de re ſciſcitatus eſſet, cujut morem geramus, placuit paucis hujus nigredinis ſcutari cauſas juxta noſtri ingenii modulum.

§. XIIV. *Cauſæ vero hujus atri* in Æthiopibus coloris ſunt partim *Theologicæ*, vel *hyperphyſicæ*, partim *phyſicæ*. Et hæ ſunt duplices vel ab aſtris petitæ, denique loci, vel â cutis pororumque & particularum diſpoſitione: *Hyperphyſica* cauſa creditur maledictio impio *Noæ* filio *Cham* facta. *Cauſa phyſica* prima & communis ſtatuitur aduſtio ſolis, (2) *Geniusq́;* loci, (3) *peculiare* fermentum nigricans (4) *cutis pororum* particularumque diſpoſitio, (5) *imaginatio*, (6) *ſemen*; hæ ſunt cauſæ principaliores: ſunt & aliæ, quas

non

non huc adducimus, de iis omnibus, quantum fieri poteſt hic breviſſime diſcurremus, Epicriſin noſtram tribus verbis indicabimus, L. B. ad *Noſtram philoſopham Sacram remittentes*, ubi ex profeſſo de Nigredine Æthiopum.

§. XIV. *A cauſa hyperphyſica* ordiri hanc telam placet: *Scriptura ſacra* Gen: c. IX. 22, 23. 24. 25. 26. 27. *Quod cum vidiſſet cham pater chanaan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nunciavit duobus fratribus foras* (23) *At vero Sem & Japhet pallium, impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum, operuerunt verenda patris ſui, faciesque eorum averſæ erant, & patris virilia non viderunt.* (24) *Evigilans autem Noe ex vino, cum didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor.* (25) *Ait: Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* (26) *Dixitque Benedictus Dominus Deus Sem ſit Chanaan ſervus Ejus* (27) *Dilatet Deus Japheth, & habitet in tabernaculis Sem, ſit Chanaan ſervus ejus.* Ex hujus Scripturæ Sacræ textu patet crimen, quod *Lutherus* ſatanicum & acerbisſimum contra patrem fuiſſe ſtatuit: contemptor *Dei*, inquit *Lutherus* ad h. l. verbi, & ordinis divinitus inſtituti, non ſolum patrem veſte ſua non tegit, ſed etiam Ludos ex eo facit & ita nudum relinquit quod & facinus horribile ſummè deteſtatus eſt, ut nomen ejus exprimere horruerit, ſed maledicitur in filio *Chanaan*, qui juxta quosdam fuit ipſius *Cham* quartus filius; Nunc *Noah* in oculis filii ſtultus, delirus & ridiculus Senex, prodit in Majeſtate prophetica ac prædicat filiis revelationem divinam de futuris eventibus. Ibi dirum maledictionis fulmen ferit *Cham* & ejus poſteros, & quamvis *Cham* non fiat mentio, minimè tamen expers fuit hujus maledictionis fulminis; maledictio filii redundat in patrem, qui meruit &c. fuit enim homo omnium viventium

tium nequiſſimus, & abominandæ Magiæ *Dæmoniacæ* inventor, quam & ante diluvium omnino calluiſſe volunt non nulli, tradit *Casſianus* collat: 8. c. 21. (citante Excellentisſimo. D. D. *Frommann* in ſuo Pereruditо opere de Faſcinatione l. III. p. III. Sect: II. c. 2. pag. 506) *Sciens* (Cham) *nullum ſe poſſe ſuper his memorialem librum in arcam prorſus inferre, in quam erat unà cum patre juſto ac ſanctis fratribus ingreſſurus; ſceleſtas artes ac profana commenta diverſorum metallorum Laminis*, quæ ſcilicet aquarum inundatione Corrumpi non poſſent, & durisſimis lapidibus inſcripſit, quæ diluvio peracto, eadem, qua celaverat, curioſitate perquirens, ſacrilegiorum & perpetuæ nequitiæ *ſeminarium* trans miſit in poſteros. Prælaudatus: *Frommann* Saxoniæ Eruditorum Virorum Decus: a. l. §. 6. Ita *degener Patriarcha* optimi *Noæ* filius *Cham*, magica ſpurcitie infectus, filium ſuum *Miſraim* eadem quoque infecit, qui ſtrenuus patris æmulus, poſitis ab eo illicitarum artium fundamentis, plura indies inſtinctu ducis infernalis ſuperſtruxit, ut tandem Magicæ ſodalitatis membra in *Ægypto* & *Perſide* in immenſum *creverint* &c. Incomparabilis *Bochartus* l. IV. c: 1. p. 232. ita de *Chamo* loquitur: *Chamum quidem* (inquit) pravi contortique ingenii fuiſſe oportet, cum non modo expii patris dedecore voluptatem fecerit, ſed eum traduxerit apud fratres: At non ſequitur eundem fuiſſe *Magum*, aut eundem cum Zoroaſtre; Certè tempora non conveniunt: *Cham* enim multis ſæculis recentiorem eſſe. Conſtat Magum illum Zoroaſtrem, cujus oracula Græcè edita cum *Pſelli* & *Spethonlis* Scholiis circumferuntur. Pene tamen *Bactris* regnaſſe Magum Zoroaſtrem, quid hoc ad *Chamum* Noæ *filium*, cui *Bactriana* non obtigit, ſed *Africa* & *Aſiæ* portio, in *Africæ* fini-

bus â *Bactris* remotiſſima? itaque â *Zoroaſtre Oxyartes*, ita *Cham* ab utroque plane fuit diverſus. Et Magiam â Chamo tam falſnm eſt poſt diluvium fuiſſe invectam, quam ab angelis ante diluvium. Nonnulli etiam *Chemiam* vel *Alchemiam à Cham* deducunt de ea vide *prælaudat: Bochart.* a. l. p. 234. 235. 236 quæ, quoniam huc non ſpectant, non adducuntur. Quicquid tamen ſit cum *Bocharto* facile diverſum credimus fuiſſe Cham ab utroque, licet contrarium operosè adſtruat *Senatus Myſtarum* Naturæ Dictator *Kircherus* in ſuo *Oedipo*. A Magiæ vero crimine non poſſumus nos abſolvere *Cham*: Et credibile eſt *Cham* conſpectis ſui pii parentis membris virilibus magica carmina murmuraſſe, nam propter nudum aſpectum tam acerbo maledictionis anathemate in omnem poſteritatem vigente non fuiſſet perculſus. Æque grande, ſi non grandius crimen commiſit *Ruben*: (*Gen*: XLIX verſ. 3. 4.) *Qui aſcendiſti cubilia patris tui, tunc Maculaſti ſtratum meum aſcendendo*. Concubuerat enim cum *Noverca Bala*; ſicque inceſtum atrocem commiſit (*conſpurcaſti inceſtu* ſcelerato lectum meum conjugalem habet in *paraphraſi Oſiander*) ad h. l. & (*Gen*. 35) tamen ſimilis *Maledictio* non fuit ipſi inſinuata (*Gen*: XLIX. verſ. 7.) oportet ergo aliquid atrocius comiſerit *Cham*: Nam ſimplex intuitus verendorum, in quæ & fortè caſu incidit, vel *irriſio* tam atrocem maledictionem & quidem triplicem non meruit; ſed quicquid ſit *Deus novit*, nos hic nihil temerè aſſerere, vel curiosè ſcrutari volumus: *Magum* tamen fuiſſe credimus &c. Triplici maledictionis fulmine fuit percuſſus uti ex *Textu* rectiſſimè colligit *Lutherus* a. l. Hac triplici maledictione color ille ater ipſum ejusque poſteros loco pænæ invaſit extrinſecus. Et *parentis* fœdiſſimis coloribus, inquit *Lutherus* a. l. depictus:

Huc

Huc procul dubio *Lutherus* reſpexit. Hinc etiam Antiqui populos in *Scythas, Æthiopes, Indos, & Celtas* diviſerunt, *teſte Strabone. Scythæ* & *Celtæ* ſunt qui â *Japhet*, *Æthiopes* qui â *Cham* (potius Canaan) & *Chus* Indi, qui â Sem proficiſcuntur. India enim latè ſumpta omnem *Aſiam* ſuperiorem, etiam *Phæniciam* & *Arabiam* complectebatur, teſte *Voſſio* l. de *Idolol*: 26. 30. *Alias* pro colorum diverſitate commode quoque diſtinguuntur poſteri *Noachi* in *Albos* qui ſunt *Scythæ* & Japhetæi, *nigros*, qui ſunt *Æthiopes* & Chamæi, flavos qui ſunt *Indi* & *Semæi.* Ita judæi in Gloſſa Miſnæ tract: *Sanhedrin* f. 18. dicuntur ut buxus, nec nigri nec albi, quales ferè ſunt omnes â *Semo* orti. Hocque tum reſpicitur ad cutis, non capillorum colorem. Nam reſpectu capillorum Galli dicuntur flavæ gentes ab *Urlicio* in *Tacticis. Pirke R. Elieſer* C: XXIV. filii *Semi* fuſci & pulchri; *Chami* nigri inſtar corvi; Japheti albi & formoſi. Id hodieque in more poſitum orientalibus, ut populos & regiones per album & nigrum, rubrum & viride aliosque colores diſtinguant. Ita Ruſſia Nigra & Alba. *Endſafea* ſive India Alba, i. e. *Kilan* perſiæ, teſte *Texeira*, & India Nigra. *Tartaria* Nigra (i. e. deſerta) & Alba, *Karacojoulu* & *Arcojontu*, Mare Nigrum (i. e. pontus Euxinus) & Album Mediterraneum. Hæc eſt prima ſententia cum ſuis rationibus, quibus aliquot addemus in *Epicriſi.*

§. XV. *Pervenimus nunc ad cauſarum* phyſicarum ſcrutinium: Hicque (1) accuſant aduſtionem *Solis*: patrocinium hujus ſententiæ deſumitur â קדר â quo Kedareni Arabes, (cedrei *Plinio*, Et *Uranio* Κεδρανῖται) qui pars erant *Saracenorum.* Nam Hebraicè verbum קדר ſignificat obtenebrare, & nigrorem contrahere propriè â ſole (2) *Huic aſſerto* lucem accendit Jobi querela c: 30. verſ: 28. חסר בלא

קדר הלכתי בלא ater ambulavi etiam ſine ſole. i. e. etiam ſi ſol me non infuſcaverit, tamen mæror, quo conficior, me totum decoloravit: Quod *Biblia wimarienſia* Germanicè ita reddunt: ich geh schwartz einher / und brennet mich doch keine Sonne nicht. (Job. 30. verſ. 28.) Et *Oſiander* ad h. l. *Niger incedo, quanquam me ſol non exuſſerit. Kedar* igitur id ipſum, quod Gallis *hâlé*, qui ſolis ardore peruſtus eſt atque infuſcatus. Cujusmodi fuiſſe Kedare nos conſtat vel ex Sponſæ verbis in Cantico *Salomonis* C. l. verſ: 5. (§. XIV.) adductis i. e. juxta Chaldæum interpretem קדר כבנוי דכוש דשרין במשכני ut filii Chus, qui habitant in tentoriis Kedar. Apprime hic convenit iſtud *Jeremiæ* C. 13. verſ: 23. *Nuncquid mutabit Chuſæus pellem ſuam.* In Textu Teutonico. kan auch ein Mohr ſein Haut wandelen (3) Hebræis חם Cham, Calidum,& חום nigrum ſonat: ita *Chami* nomen vel â colore vel â Nigredine factum. Neque ut videtur ſine numine, cum quæ *Chamo* contigit Africa, (ſunt verba *Bocharti*) immodico æſtu laboret, ejusque poſteri ferè omnes vicini ſideris ardore ſint exuſti, atque infuſcati. Quod ipſum pono in parte maledictionis; Quamvis in *Africa* loca ſint, quæ nulli parti terrarum fertilitate cedunt. Et hæc eſt ſecunda ſententia.

§. XVI. *Genius loci* accuſatur: Nam inter Noachi filios primus vel nativitate vel imperio fuit *Cham*, qui in illa mundi primæva diviſione *Arabiam*, *Syriam*, *Ægyptum* & univerſam Africam obtinuit. Proprium enim *Afrorum* & Arabum eſt colore nigro ſive noctis tinctum eſſe & æſtuoſiſſimo colore torreri, unde â Græcis *Æthiopes* vocantur, *unde* etiam Arabia deſerta & Ægyptus terra Cham appellantur l. paral. IV. 40. Pſal: LXXVIII. 51. CV. 23. 27. ex VI 22. Sic quoque *Æthiopia* ſub Ægyto ubi Nilus maximè

tortuo-

tortuoſus eſt. *Nilus* itaque duplex eſt Æthiopicus & Ægyptius. Æthiopicum ſic diſtinguit *Strabo*: *Æthiopiam* quidem neque totam permeat *Nilus*, neque ſolus neque in rectum: *Ægyptum* verò & ſolus, & totam & in rectum. Hæcque regio dicitur *Lud* i. e. fluminis flexus, quoniam *Nilus* alibi rectus tam inſigniter flectitur; ſic *Cham* venit in Ægyptum; unde terra *Cham* in ſcriptura paſſim audit, loca adduximus. Hinc illi etiam Ægyptii & Æthiopes tam vicini ſunt, ut de limitibus concertaverint. *Ariſtides* in oratione *Ægyptiaca*: *Philas* enim cataractas dico eſſe, confinium Ægypti & Æthiopiæ. Et aliquanto ante: Conſcenſo portu, qui primus eſt ſupra cataractas, in philas trajeciſſe, quæ inſula Ægypti & Æthiopiæ confinis eſt, tantæ Magnitudinis, quantæ eſt ejus oppidum. Illam autem circumfluit *Nilus*, faciens ſui præcisè medium. *Strabo* l. 1. qui ad Syenem, & Philas, quorum illa Ægypti &, Phile autem communis habitatio Æthiopum & Ægyptiorum. Et l. 17. *paulo* ſupra: Cataractas philas communem Æthiopibus & Ægyptiis habitationem eſſe contingit. *Heliodorus* l. 8. *Urbs enim* Phile ad Nilum ſita eſt paulo ſupra minores cataractas: â Syene autem & Elephantina centum circiter ſtadiis diſtat. Hanc Exules Ægyptii quondam cum occupaſſent, & inhabitaſſent. Ambiguam fecerunt inter Æthiopes & Ægyptios; illis quidem Æthiopiæ fines ad cataractas promoventibus; Ægyptiis verò etiam Phylas, ut quas ſui exules incoluiſſent tanquam bello partas ſibi vindicare volentibus. Hieroglyphicæ literæ tam erant in Æthiopia, quam in Ægypto receptæ, atque eadem pingebantur figura Gen. 10. vers. 13. Et *Miſraim* Genuit Ludim, quaſi diceret Ægyptiorum colonas eſſe Æthiopes: cognatos eſſe populos *Diodorus* l. 3. *Herodot*:

l. 2. c. 102. *plin*: l. 6. C: 29. *Strabo* C. 17. Et ex iis *Bochartus* l. 4. C. xxvi. p. 307. probat: Quid quotam Ægyptii quam Æthiopes deſcribuntur *atri coloris* & *criſpi* capilli. *Herodot* in Muſa ſecunda. Itaque nullum dubium quin utrique populo communis fuerit origo. Hæc terra *Cham* ſive Ægyptus tam Æthiopibus quam Ægyptiis patria nomen partim accepit â primo ſuo poſſeſſore *Cham* (2) *partim* quoniam terra atra. (3) quoniam ſol infuſcat illic incolas, eſt ergo *Genius* loci quodammodo cauſa nigredinis juxta quosdam; ſic quoque *Sol* & *terra* hanc nigredinem fovent in ſuis incolis; non obſtat dari & illic animalia alba, dantur apud nos albos animalia nigra: *Homo* verò fruitur optimis terræ nigræ fructibus, hinc quoque color ſe magis in hominibus probat; quippe terra nigra ſive cujuscunque coloris ſuam indolem & dotes magis communicat optimis fructibus; neque homines vivunt tam ſimplici victu, ut animalia, ſic etiam occaſio major in hominibus vim illam nigricantem exſerendi, quam in animalibus. Sed properamus ad cauſam quartam, phyſicam tertiam.

§. xvii. *Medicis Neotericis*, & *illis*, *qui baſi* Monarchiæ Ariſtotelicæ jam jam vacillantis & ad interitum inclinantis fulcrum novum non ſubſternunt, nil frequentius in ore quam Fermentatio & Fermentum, nilque etiam proprius ad veritatem accedit, aut magis fores ad ſolidam cognitionem Philoſophiæ & Medicinæ pandit, quam hoc ipſum. Sic quoque non multis paraſangis ab æde veritatis diſtat, ſi aſſeratur peculiare fermentum nigricans dari in Æthiopum ventriculis: Illud autem noſtro arbitratu conſtat ex particulis mollibus, unctuoſis & viſcidis, illudque ipſum cum chylo rapitur, & per copu-

lam

lam ſanguini unitur, verum cum ſanguine in unam maſ-
ſam coire non poteſt, idcirco natura vel cruor ipſe à ſe
ſequeſtrat hoc fermentum molle, unctuoſum, viſcidum
ad circumferentiam corporis, imbibitur tamen à cute ex-
tremo tegumento ſubſtrata, quoniam illa admodum mol-
lis eſt unctuoſa & viſcida, & ea reſplendet per extremum
tegumentum corporis pellucidum vel diaphanum.

§.XVIII. *Corpora* vel *admittunt* lucem, vel refrangunt (philoſophamur hic cum Neotericis philoſophis, nullo habito reſpectu ad autoritatem) quæ admittunt lucem ſunt poroſa, quæ refrangunt, ſunt ſolida (ea quoq; refractio duplex eſt, vel fit ut lux in refractione multas ſphærulas faciat, unde albedo, quemadmodum videre licet in liquoribus, ſi ſibi invicem affundantur forti niſu, vel ſtatim poris ſuis egreditur, nullum ſuæ præſentiæ veſtigium edens, vel admodum exiguum, quemadmodum in oleis, ut dicemus poſtea) (in poris & particulis ſana philoſophia conſiſtit, non qualitatibus) poroſa vel habent poros rectos vel rectis æqui valentes, & hæc ſunt diaphana & pellucida, quia radii lucis totum corpus pervadunt, & nuſpiam refranguntur, vel habent poros irregulares & obliquos, & hæc ſunt nigra (nam illi pori obliqui & irregulares non tam promptè ſuſcipiunt particulas primi elementi) quia radios lucis tortuoſi illi pori receptos abſorbent, neque reflectunt ob partium corporis mollitiem. Duo ſunt, quæ corpus aliquod reddunt alteri corpori penetrabile, Cavitas, ſive pori, & mollities, ſive humiditas. Igitur ſiccitas, durities, ſoliditas corpora reddunt inpenetrabilia, vel minus penetrabilia, ita corpus diaphanum ſi conprimatur, ut aqua in glaciem denſata, reflectit lumen, quod ante compreſſionem tranſmittebat & album magis evadit, è contrario mollities,

unctuo-

unctuoſitas, viſciditas nigredinem augent, quia lux facile ſubit poros molles, & in iis velut inviſcatur, ut non poſſit regredi. Corpora ſive ſuperficies mollis & poroſa abſorbendæ luci aptisſima, unde nigredo. Nam lux dum incidit in ſuperficiem mollem & poroſam, facilè eam ſubit, intrat, atque ibi abſorbetur & occultatur in cavernis poroſis, neque ob mollitiem reflectitur verſus oculos noſtros. Hinc Æthiopum cutis mollis & poroſa, quia ſol abſumpſit particulas rigidas; & fermentum nigricans molle unctuoſum, Viſci dum extremo tegumento ſubſtratum ita abſorbet particulas primi elementi, ut non reflectatur, & licet poſſet aliquatenus dici reflecti, illam tamen reflexionem nulla ſphærularum extenſio vel excavatio ſubſequitur, & ea re non ſuccedente hinc nigredo: Cutis Æthiopum ut & cuticula unctuoſa & viſcida materia ſemper madent. Si nunc perpendamus geneſin cuticulæ (quæ & pellicula tenuis, denſa & inſenſilis, cuti inſtrata, eique firmiter adhærens, ut non niſi ignis vi excitatis veſiculis ab ea ſeparata demonſtrari poteſt) quæ fit â ſubditæ cutis madore (juxta quosdam) ambientis aëris ſiccitate denſato, tum facile patet ratio nigredinis in Æthiopibus, nam ille mador, qui ex cute exhalat non reſolvitur in ſphærulas cavas, ſed ut eſt unctuoſus, & viſcidus, ſic ſemper particulas primi elementi abſorbet.

§. XIX. *Superſunt duæ cauſæ, imaginatio & Semen.* Nil aliud vident illi homines, quam hos atros; fieri ergo non poteſt, quin & ſimiles proferant fœtus: quid enim posſit imaginatio in opere Geneſis, probant mille experimenta, & de ea fortè â nobis agetur alias: Scimus ex fide hiſtoriarum ab Æthiopibus albos, ab albis Æthiopes vi phantaſiæ eſſe genitos: *Auguſtinus Torniellus in annal:*

Sacr:

Sacr: T. 1 p. 133. concludit demum eſſe ab aſpectu nigræ rei, quam Chuſi, á quo Æthiopes orti ſunt, mater gravida per imaginationem firmam apprehenderit, quomodo oves poſitis baculis contraxerunt pelles maculoſas Gen: xxx. 37. *Semen de* hoc audiamus ipſum incomparabilem polyhiſtorem DD. *Conringium* apud Nobiliſſ: *Oldenburgerum* Theſ: Rerp: p. 1. Titul: 1. §. 1. p: 787. *Quæ cauſa* quod nigri illi ſint, nemo facilè perſcrutare poteſt. Ego de hoc de Germann: corpor: habitus cauſis, ubi oſtendi deberi hunc colorem naturali virtuti ſeminis Æthiopici; qua ratione verò illi primi nigri fuerint neſcio: ita Conringius. Et hæc ſententia revera, quæ hanc colorationem ſemini & vi plaſticæ tribuit, non ſusque deque habenda. Huic aſſerto accedit fulcrum ex ipſis *Magni Diemerbrokii* Academiæ Trajectinæ, dum viveret, fulgentis ſideris verbis, quibus negat cuticulæ geneſin ex ſubditæ cutis madore, ambientis aëris ſiccitate denſato. Sed malè, inquit, C. 3. l. 1. *Anatomes* p: 14. *Cum principium* ſeminale non minus habeat, quam cutis aliæque partes ſolidæ, &c. Et hoc fortè multi cum ipſo aſſerent.

§. xx. *Hactenus diverſas ſententias*, earundemque rationes recenſuimus, quibus forte hoc placitum adjici poſſet: *Cham*, cum ſignificet *nigrum*, calidum & Exuſtum vide (§. xv) annon ille fortè ab utero fuerit Æthiops, ſicque cum eo demum cæpit Æthiopum gens, & omnes ejus poſteri nigri, ſed dubium annon ante *diluvium* exſtiterint Æthiopes? Sed de hoc dicemus poſtea.

§. xxi. *Omnes hæ cauſæ*, ſi diſtinguamus Æthiopes, certo reſpectu ferè poſſunt conſiſtere, non tamen credibile eſt propter maledictionem *Canaan*, factam, *Cham* poſteros omnes eſſe nigros, ut ſentit *Wilhelmus poſtellus* l.

 de

de Concord: Orbis: injuria tamen fit *Wilhelmo poſtello*: Dum nonnemo, (cui hoc in more poſitum, magnos viros injuria laceſſere, ac in eorum ſcripta loliginis atri ſuccum ſpargere, hominis iſtius nominis meminiſſe non placet;) ſcribat. *Fabulis ſimillimum eſt*, quod *Wilhelmus poſtellus* l: de Concordia Orbis ſcribit, â diris *Noachi*, quibus ille filium ſuum *Cham* oneravit, in Nepotem *Chuſum* nigredinem eam derivatam eſſe. Quare enim non ob ſimilem cauſam nigredo in *Caino* & filiis ante diluvium effecta eſt, & ob ſimiles diras? imo quaſi *Chuſi* unius poſteritas â diris illis contraxit nigredinem, & non perinde alii poſteri *Chami*? *Reſpondemus* huic homini, cui cum Rhinocerote robur in naſo eſt. (1) *quamvis* ipſi hanc ſententiam pro ſola cauſa nigredinis non cognoſcamus, cum Æthiopes ante diluvium fuerint æquè ac albi & candidi, ut & nunc (2) *Cham* fuit *Nigricante* colore præditus, (3) *illa maledictio* non tam factâ eſt *Cham*, quam *Canaan* (adde §. XIV) hujusque poſteri revera illi ſunt, qui verè Nigritæ audiunt. (4) *Quis ſcit* annon *Cain* niger factus fuerit iſtis diris, cum ſcriptura dicat notanter *Gen*: 4. *Et poſuit Dominus ſignum in Cain*, &c. Quale hoc ſignum fuerit, â nemine mortalium hactenus definitum, neque â quoquam mortalium definietur. Eodem argumento poſſet dici, fuiſſe Nigredinem, quo nonnulli tremorem fuiſſe autumant. (5) *Tantis diris* fuiſſe oneratum *Cain*, quantis *Canaan* in Scriptura non exſtat. (6) *poſteros Cham* confundit cum poſteris *Canaan*: *Cham* quippe quatuor filios Scriptura tribuit, *Chus* & *Meſraim* & *Phut* & *Cannan* (Gen: x. 6) *Meſraim* genuit *Ludim* (Gen. x. 13) Et hi â *Bocharto* nunquam ſine præfamine honoris nominando, pro *Æthiopibus* habentur. *Canaam* autem genuit *Sidonem* (Gen. x.

15. 16.

15. 16. 17. 18. 19. 20.) Harum gentium quaſdam in Ægyptum introiviſſe â vero non eſt abſonum, ſicque Nigritarum partem aliquam conſtituiſſe, maximam verò partem Æthiopum Ludim eſſe credimus cum prælaudato *Bocharto* (l. 2. c. XII. l. 4. c. XXVI. p: 299. & a. l. c. 1. p. 230) *Ægyptus* eſt vagina gentium Æthiopicarum (relege XXV) *Miſraim* non eſt nomen hominis, id non patitur forma dualis; itaque cum in Canaan filius ſecundus cenſetur *Miſraim*, nomine *Miſraim* intellige patrem incolarum terræ *Miſraim* i. e. *Ægypti* vide *Bochartum* (l. 4. c. XXIV. p. 292. 293.) Ex his patet non ſolum poſteros *Cham*, ſed & poſteros *Canaan* diſtinguendos, & illi poſteri *Canaan*, qui *Miſraim* vel Ægyptum ingreſſi, ſunt *Nigritæ*, ex quo loco tranſierunt longius in *Aſiam*, *Africam*, & *Americam*; quomodo in *Americam* venerint, nunc non diſceptabimus, & tantum pro *Wilhelmo Poſtello* adferre placet, ut pateat hanc ſententiam non eſſe adeo abſurdam, ſed rectè explicatam tolerari poſſe, (7) *tum hanc* ſententiam *Poſtelli* confirmare valet, quod Æthiopes maximam partem ſint ſervi: hinc Imperator *Abiſſinorum* ſe nominat Dominum Mancipiorum, quod abſolutè imperet, quemadmodum etiam audivimus de Regno *Congo* (§. IX.) de Regno *Monomotapæ*, ut exinde non immeritò colligatur hos eſſe poſteros *Canaan*, præprimis illi, qui verè Nigritæ dicuntur, verum per omnia regna Orientis imperatores ac Reges abſolutè imperant, ac ſubditi non aliter conſiderantur ac mancipia, & hi omnes maximam partem ſunt poſteri *Cham*; ſed quoniam non omnes nigri, cadit aſſertum de *Chami* nigredine connata, non tamen abſolvimus ipſum â colore nigricante, fuit enim ſuis fratribus omnino nigrior, quod nomen evincit, ſi perpendamus mo-

rem, quem ſecuti fuerint patriarchæ in imponendis nominibus ſuis filiis, ſic & ipſe *Adam*, quoniam ex rubra terra, ſic *Eſau* & *Edom*, magis confirmatur noſtra ſententia; & ea tinctura nigricans ſeſe magis manifeſtavit in *Canaan* poſteris, ut quem, maledictio præcipuè tangit. Et ita non omnes *Chami* poſteri ſunt Æthiopes, ſed tamen omnes nigricantes, *buxei* vel *flavi* &c. in toto enim Oriente nullus homo reperitur, cujus facies vel vultus coloris ſit albi, niſi forte vi phantaſiæ immutatus, vel Europæis parentibus ſatus. Verum huic aſſerto, ne adeo liquidum ſit, remoram ponit, quod etiam ex *Cethuræ* poſteris deſcendant Æthiopes, quos circumciſis annumerat *Herodotus*; *Homeritas* vocat *Epiphanius*: ſed huic argumento nullum robur ineſt ad infringendam noſtram aſſertionem. Quippe *Homeritæ Epiphanii* ſunt *Meroitæ*, quos genuit *Miſraim* ſcilicet *Ægyptus*: Et hic *Meroitæ* i. e. *Meroes* incolæ, quæ eſt inſula Æthiopica; medio *Nilo* lata mille ſtadiis, triplo longior, Elephantis, frumento, vino præſtantisſimo, palmis. Ebeno, ferro, ære, argento, auro, & gemmis plena & ferax, conſule *Diodor*: l. 1. p. 201. *Strabonem* l. XVI, *Heliodor*. l. 12. *Salmaſ.* in Solin. p. 381. &c. Atque ita erit verisſimum *Meroitas* populos eſſe in regione Preſtegiani. i. e. Regis Abisſinorum. Et hi *Abysſini* jactant ſe olim eſſe profligatos, illorum copias fuſas, & ita in eam terram, quam nunc incolunt, incidiſſe: Quare nihil minus. Quam ex Kethuræ poſteris ſunt hi populi, ſed ex *Canaan*, quod ptobant multa. (1) præprimis color (3) ſervitus, ſunt enim ſervi ſervorum, mancipia, quod & omnibus Æthiopibus commune jugum eſt, ſic omnes Æthiopes Canaan poſteri, ſicque etiam maledictio non excludenda *ſecundum quid* ex cauſarum nigredinis ſerie;

dummo-

dummodo illud non extendatur ad omnes poſteros *Chami*, cum omnes non ſint nigri, ſed *Buxe*, *Flavi*, *Brunni*. Ipſa ſcriptura reſtringit ad *Canaan*.

§. XXII. *Solis exuſtioni* tam ſplendidam nigredinem tribuere non poſſumus, licet adurat corpora, flavum colorem vel buxeum inferre concedimus; & aliter etiam dicta ſcripturæ non explicanda veniunt, quam ſaltem de tali colore, qui præternaturalis, & aliquatenus morboſus; & Loquitur ſponſa in Cantico methaphoricè, quod videlicet nigra ſit calamitatum preſſurâ, confer commentatores, quod & confirmat Locus Jobi adductus; ex (§. XV.) patet Ægyptum eſſe commmunem patriam Æthiopibus & Ægyptiis adde locum *Proſperi* in Pſalm. c. IV. *Quod eſt Iſrael*, hoc eſt Jacob, & quod eſt Ægpptus, hoc eſt terra *Cham*. De ſemine enim Cham filii Noæ exorta eſt gens Æpyptiorum apud quos peregrinati ſunt Iſraelitæ. Oriundi â Meſie filio Chami, non admodum vitiata appellatione, quando Ægyptum Meroem, Ægyptios Meſoræos ſua etiam Ætate â Judæis dictos ſcribat *Joſephus* l. 1. Archæolog. 2. VII. De Ægypto autem communis Geographorum conſenſus eſt, quod Ægyptiis aer quam ſaluberrimus (*Zarharias Mitilenæus* l. de Mundo) immutatilis quippe turbinibus nimborum (Herodot. l. 2.) ſunt alioquin Æpyptii omnium hominum, ſecundum *Lybias* maximè ſalubri corpore, tempeſtatis, meo arbitrio, beneficio, quæ nunquam immutatur &c. Et (*Juſtinus* l. 2. Ex Trogo) *Ægyptum* ita temperatam eſſe ſemper, ut neque hyberna frigora, nec æſtivi ſolis ardores incolas ejus premerent (*Ammianus* l. XXII) *Alexandriæ* auræ ſalubriter ſpirantes, aër tranquillus & clemens, utque periculum docuit varias collectum Ætates, nullo pene die incolentes civitatem

tatem hanc, ſolem ſerenum non vident. Cadit hoc aſſertum de ardore ſolis, quodque reſtringimus ad flavos, & colorem buxeum. Et tamen *Ægyptii* ſunt *Nigri* licet temperatum aërem habeant, Audiamus *Plautum in pænulo*.

*Jam pol ego illam pugnis totam faciam, ut ſit Merula*
*Itaque replebo, atritate, atrior multo ut ſiet,*
*Quam Ægyptii, qui cortinam ludis per circum ferunt.*

Eſt itaque Ægyptus unica illa regio & patria imo vagina Æthiopum, quæ Cham contigit, hinc in variis ſcripturæ locis dicicitur terra *Cham*, & omnes Æthiopes Canaan poſteri, partim per maledictionem atrati, ſed non ſolum ut videbimus mox. Caditque eodem modo argumentum de Genio loci petitum, Neque plus tribuimus cauſis reliquis phyſicis, quicquid etiam alii argutentur: ſed cauſam (præſuppoſitis iis dictis & dicendis) cum *Conringio*, ſemini & facultati plaſticæ tribuimus: minimè verò hoc ridiculum dogma fovemus Æthiopum ſemen eſſe nigrum juxta *Herodotum*, quod & optimè confutavit *Ariſtoteles* l. 2. de *Generat: Animal:* c. 2. Et probat experientia *alba nigra*, & *nigra alba* habere effluvia. Suntque rationes, quæ nos movent, ut credamus ante diluvium Æthiopes fuiſſe, poſt diluvium D. T. O. Mundum non immutavit, multo minus tantam coloris mutationem hominibus, quæ per tot hominum Myriades & gentes usque permearet, induxit; alias rationes ſervamus in alium locum; ſicque pororum & particularum diſpoſitio vel figura, quamvis id plauſibiliter dicatur, non abſolvunt negotium, & nihil omnino obſtabit, quin cutis noſtri corporis pori perfundantur materia unctuoſa, viſcida, & hæc cum in Æthiopibus copioſior, quam in nobis, hinc cutis illorum mollior, nullum verò in hoc præſidium

habet

habet color niger Æthiopicus. Hoc tamen lubenter concedimus, ſi purè phyſicè loquamur nullo habito reſpectu ad Scripturam, allatæ cauſæ bellè explicant negotium; nam color dependet â ſuperficie corporis prout hæc magis vel minus apta reflectendæ luci, ita colores variant. Superficies verò corporis variat juxta exhalationem materiæ unctuoſæ, viſcidæ, & hæc diſponit poros, & cutem vel indurat, vel emollit. Sicque *Cham* habuit colorem nigricantem vel Characterem tenebrarum quemadmodum alii characterem lucis. Scimus quidem Genium loci aliquid conferre, ſic Gronlandia urſos albos, Corvos albos &c. profert. Sæpius etiam ſpecies apud nos ab ingenito ſpeciebus colore abeunt, niveos mures narravit noſtris Curioſis Nobiliſſ: & curioſiſſ: *D.D. Lachmundt* Hildeſiæ Æſculapius; glirem candidum aluit hic Kiliæ quidam Mercator per aliquot dies.

§. XXIII. *Æthiopum corpora* maximi roboris fuiſſe communiter colligere licet ex (§. III. a. 3.) præſertim illi Macrobii: id autem omnibus Æthiopibus commune eſt cum aliis gentibus, ut corpora eorum alia aliis ſint robuſtiora, & robuſtos habeant lacertos, quemadmodum Germanorum corpora, quam maximè interſe ratione roboris & magnitudinis variant, Macrobios præprimis gigantei roboris fuiſſe evincit iſta ſtupenda arcuum magnitudo, quos tamen commodisſimè & ſatis feliciter uſurparunt: Æthiopes Americani tenuioris ſubtilioriſque contexturæ videntur eſſe, in *Africa* & *Aſia* majorum virium ſunt, quanam in mundi parte Macrobii habitarint, vix definiri poteſt, regno vel imperio eorum deſtructo per varias regiones ſunt diſperſi, incolæ Madagaſcar ſunt Macrobiorum originis. Cæteroquin membrorum varietas,

rietas, robur, membrorum figuræ inter hos Canäan nepotes tot modis variant, quot modis apud nos Europæos corpora, & hic ſubſiſtimus Deo gratias agentes, qui Spiritum ſuum Sanctum nobis elargitus eſt, hic porro noſtro conatui, quo publico prodeſſe annitimur, adſit.

*Soli Deo Gloria.*

# FINIS.

Errata quæ fortè à nobis non notata, B. L. ſuo candore corrigat.

IN Nomine Domini Noſtri JESU CHRISTI ad omnia conſilia, omnesque actus feliciter progredimur. *l.2. in princip. c. de off præf. præto: Africæ*: omne quodcunque facitis, in verbo aut in opere, omnia in Nomine Domini noſtri JESU CHRISTI, gratias agentes DEO & patri per ipſum ad *Coloſſ. 3. v. 17.* Et certè cujusque rei potisſima pars principium eſt *l. 1. ff. de origin. jur.* potisſima autem pars, & bene geruntur & competenter, ſi principium fiat decens & amabile DEO *Novell. 6.* præfat. *Et Plato* in Timæo: Deum igitur etiam nunc, inquit, Diſputationis Servatorem imprimis oremus, ut nos ex admirabili & inſolita expoſitione ad veriſimilem doctrinam traducat, atque ita inſtituti diſputationem exordiamur. Et horum veſtigiis inſiſtentes, DEO Duce, hanc ſequentem telam pertexere ordimur, & hic nobis adſit, ut quemadmodum in ejus nomine ſubque ejus præſidio inchoamus, eodem modo ſub ejus auxilio tandem operi finem imponamus. O DEUS juva!

§. 1. *VETERES Mundum hunc aſpectabilem* Magnis encomiis exornarunt: ſic *Ciceroni* de legibus l. 1, *Mundus* civitas Deorum & hominum: *Seneca* ingens Dei templum. Et Chriſtiani olim, qui cum ab Ethnicis calumniatoribus traducerentur, quod Deo ſuo conſecratum templum non haberent: Dei templum eorum, reſponderunt, Univerſum hoc, *quiquid* cernitur. Et *Stoicus* Philoſophus apud *Laertium*: *Mundo* nihil neque Majus, neque ornatius rerum Natura genuit. *Interroga*, inquit *Auguſtin*: *Serm*: 149. pulchritudinem Maris? interroga pulchritudinem dilatati? & diffuſi aeris interroga pulchritudinem cæli? interroga ordinem ſiderum? interroga ſolem fulgore ſuo diem clarificantem? interroga Lunam ſplendore ſuo ſequentis noctis tenebras temperantem? interroga Animalia, quæ moventur in aquis, in terris, quæ volitant in aere? latentes animas: perſpicua corpora: viſibilia regenda: inviſibiles regentes: interroga iſta? reſpondebunt tibi omnia: Ecce, vide pulchra ſumus! pulchritudo eorum, confesſio eorum. Et ut nunc nihil dicamus de pulcherrimo ſiderum Exercitu, de quo diſcurrendi occaſio ſeſe offeret in noſtra *Philoſophia Sacra.* Ad ſublunarium ſyſtema nos nunc *Deo Duce* convertimus; Et unicum ſaltem ramum ex hac *Tricorporea arbore* decerpere jam placet, & de eo paucis diſcurrere, quoniam eſt pars objecti *Philoſophiæ Naturalis*, & Materiæ Medicæ promptuarium ditisſimum.

§. 2. *Communiter Hanc Tricorpoream* ſublunarium arborem dividunt in Tria vulgo dicta regna ( Tricorpoream indigitamus arborem hoc ſublunarium ſyſtema, quoniam inſtar Arboris uni Radici innititur, quam in

aere

aëre radicavit. *Arbor dicitur*, quoniam cuncta inſtar arboris viridis & perpetuo florentis creſcunt, ac nihil in illis interit, & quod maximè interire vel mori videtur, illud novam vitam aſſumit, *& illæ ſpecies*, quæ hac in arbore jam folia ſunt, mox *in fructus* abeunt, & quæ nunc fructus haud diu poſt iſtius arboris lignum, corticem, medullam, idq; genus conſtituunt: in hac *Arbore* lignum & corticem faciunt mineralia; fructus animalia, hic enim ultimus Naturæ finis; Folia vegetabilia. Hæcque rerum circulatio *à vita Nobiliori* ad ignobiliorem, ab ignobiliori rurſum ad nobiliorem ſtato ordine perennat, ita ut id quod maximè mori videatur, novam vitam induat, novisque dotibus exornetur, quibus rurſum ſuperbiat, & omnipotentem ſuum creatorem Laudet: ſicque ſine ulla interruptione Rerum naturalium *Reſurrectio* noſtræ reſurrectioni futuræ teſtimonium perhibet: Hæcque *arbor* ſublunarium eſt *phœnix* ex cineribus ſuis quolibet momento reviviſcens, Hæc eſt illa *Metempſychoſis* pythagorica adeo decantata, & aliter illud dogma *pythagoræ* non explicandum eſt; quicquid etiam ipſi affingatur. *Ab hac arbore* Largiente Deo, homo decerpit quod ipſum nutrit & veſtit, quôque ſeſe pulcherrime exornat; Utinam non ad luxum fieret!

§. 3. *Omnes hujus arboris partes ſuas dotes in hominem* quaſi in *unicum* Univerſi centrum Largisſimè effundunt, ut exinde redundent laudes in D. T. O. M. rerum omnium Creatorem, (ſed heu quanta ingratitudo hominum Pectora occæcavit, Ut cum *Epicuro* mentem ſuam à Lucida Mundi ſcena ejusque Auctore ad obſcurum convertant cænum; cum tamen memores deberent eſſe

 finis

finis propter quem Deus hominem fecerit, illudque *Lactantii l. 7.* de divin. præm. c. 5. continuo in animo volverent: *Scilicet* ut eſſet qui opera ejus intelligeret, qui providentiam diſponendi, rationem faciendi, virtutem conſummandi, & ſenſu admirari, & voce eloqui poſſet. quorum omnium ſumma hæc eſt: ut Deum colat: is enim colit, qui hæc intelligit: is artificem rerum omnium, is verum patrem ſuum debita veneratione proſequitur, qui virtutem Majeſtatis ejus de ſuorum operum inventione, inceptione, perfectione metitur!) imo certatim dotes ſuas fundunt in hominem tam Largiter, quaſi de præmio aliquo concertarent, & aliæ aliis plus dando homini gloriam quærerent; imo non aliter ac ſi præmium eſſet conſtitutum, quod aliqua ex illis familiis eſſet reportatura quæ in hominem plus contuliſſet. Omnibusque Deus T. O. T. M. par jus fecit ad hujus arboris fructus accipiendos, niſi *quis ſe indignum* tanto *beneficio fecerit*, culpa noſtra eſt, quod non æque omnes participemur, non Dei, quare illud *Lactantii* nobis eſto recommendatum; tunc nulli acceſſus, quem Deus per jus naturæ omnibus parem & communem dictitat, præcludetur!

§. 4. *Quis non Miratur illas ingentes divitiarum copias illos inexhauſtos gemmarum* Theſauros, quos terra exfamilia mineralium quotidiè promit nosque Mortales ditat! De *Iſaacio* Angelo imperatore Græco, *Nicetas* ſcribit *fuiſſe convivium ejus collem panum, ſaltum ferarum, mare piſcium, & vini oceanum; Longe verius de hac arbore ſublunarium hoc dixeris. Quam deus homini quotidie novis dotibus ornat, ut præbeat auri oceanum, panum montes, animalium maria, vegetabilium magnificum Theatrum*; Scriptura

Sacra l. 1. Reg. c. x. Omnia denique pocula Regis Salomonis aurea erant, ſic & cuncta vaſa domus ſaltus Libani ex auro erant puro, nam temporibus Salomonis non erat argentum quippe nihili penſum, ſi quidem claſsis marina regi erat in Mari, Claſſe Hiram: ternis cum annis ſemel veniebat claſsis in Mari ferens aurum, argentum, Ebur, ſimias, pavones. l. *2.* paralipomenon c. l. *Advexit* itaque Rex argentum & aurum in Jeruſalem, quaſi lapides Et quemadmodum *Bochartus* l. 2. Geogr. ſacr. vel phaleg. c. xxvII. p. 157. de *Ophir* in Arabia ſcribit: *Agatarchides*: aurum qui effodiunt, reperiunt Magna copia in Latis terræ cuniculis, quaſi terra ſponte dehiſcente, ut Latentes in viſceribus ſuis Theſauros metallariis retegat. *Unicam* porro Indiæ partem ad teſtimonium heic citamus cujus Rex Attabalipa â Carolo V. armis olim ſubactus pro libertate ſua, Lxx Milliones aureorum carolinorum, intra Dies Lxx numerandos obtulit. Eidem Carolo pro legis cujusdam abrogatione xxi auri milliones Indi promiſerunt. *Surio* ſi credimus Lxx auri milliones ex indiis in Hiſpaniam jam olim ſunt delati: at confeſſus fuit Philippus II paulo ante obitum ſe intra annos non adeo multos, Milliones 5594, inutiliter prodegiſſe, Et nullum exinde operæ pretium tuliſſe. Teſte *Adamo piſeſekii* à *Kranichfeld* in Tractatu aureo juridico politico e. i. p. 51. imò in Monaſterium S. Laurentii Philippus II. Hiſpaniarum Rex xx Milliones auri inſumpſit. De *ſubditis* Ducis Florentiæ ſcribit *politicorum* & juris publici Scriptorum *Coryphæus Philippus Andreas Oldenburger part. 2. Rerumpublic. Titul. XXII. §. LXXV.* p. 9 43. Hic princeps, inquit adeo opibus potentes habet ſubditos, ut unus: X. tonnas auri, quidam 200.

 400.

400. 600.1000 millia coronatorum in bonis poſſideant Ut nihil nunc dicam de gemmis & pretioſis lapidibus, qui ex terræ antris eruuntur, Sereniſſimus Elector Brandenburgenſis ex *ſuccino*, quod juxta *Celeberr. Hevelium* in Actis philoſ. ſociet. Reg. Anglican. de Menſ. Novembr. Anni 1666, ſaltem ſpecies quædam picis foſſilis ſive bituminis eſt, quod Mare Balticum evolvit, percipit quotannis Decem Rheannorum florenorum millia. Atteſtante Inſigniſſ. *Funccio* Tom. 2. orbis imperant: cap. 3. §. XXIIX. XXIX. pag. 67. & *Lucas de linda* in Deſcript: orb: & Rerp: de Boruſſ: tantas dotes mineralia in hominem derivant illa, quæ hic adducimus de quorundam potentiſſimorum Regum immenſa auri copia, ea propriè huc non ſpectant, niſi ut ſaltem indicemus hujus mineralium regni cornu copiæ, exque ejus collatione & comparatione cum aliis rerum familiis pateat, cuinam familiæ ſublunarium prærogativa ſit concedenda, ſi modo aliqua prærogativæ attributio hic locum aliquem ſortiatur; quare ſi B. L. noſtrum propoſitum perceperit, facillime hoc extravagantiæ crimen ignoſcet, idcirco, plura de uſu Mineralium in medium adferemus in *Diſſertatione de Mineralium familia*, de *Animalibus* & nunc quoque nihil addimus vide *Diſſertationem de Animalium* familia. Interim ſi alicui familiæ prærogativa propter uſum, quem hominibus præſtant, ſit deferenda, vegetabilibus, ſi eximamus hominem, primas deferimus, non tamen adeo abſolutè cum hæ tres rerum familiæ, ut antea dictum, aliter non debeant â nobis conſiderari, quam tot Altiſſimi Dei beneficiorum immenſa æraria, & revera quælibet familia ſublunarium immenſæ Dei liberalitatis aliquod cornu copiæ eſt, ſed ob

ſequen-

ſequentes rationes pauliſper â parte vegetabilium ſtamus; *Homines* antediluviani & quidem patriarchæ iis veſcebantur & non fuit minima cauſa phyſica tantæ longævitatis in patriarchis (2) *Unica* ſaltem arbor in paradiſo primis protoplaſtis legitur prohibita, ac poſtea nullum vegetabile amplius prohibitum; (3) *omnia* neceſſaria ad victum & amictum affatim ſupeditat, etc: (4) *Homo ſine* animalibus & mineralibus ſolum vegetabilibus poſſet vivere; (5) Chriſtus ſeſe ſæpius cum vegetabilibus comparat, raró cum animalibus, rarius cum mineralibus. (6) Materia Medica maximam partem conſtat ex vegetabilium familia; (7) *Et quamvis* omnia â Deo creata abſolutæ ſint necesſitatis, maximè tamen tantæ necesſitatis ſunt vegetabilia, (8) plures res animatæ fruuntur vegetabilibus, paucæ animalibus, paucisſimæ mineralibus vivunt. etc. Et plures forte rationes poſſemus adjicere, ſi id nunc ageremus ex profeſſo, tumque præterea malumus in his ſubſiſtere, ne videamur id mordicus ſentire & aliis credendum perſuadere, quod & forte eodem argumentorum robore poſſet facilius infringi, quo aſſeritur; nos utique agnoſcimus D. T. O. M. rerum omnium ſapientisſimum diſpenſatorem, qui cum ſua natura inque ea nihil fruſtra, nihil inutiliter, nihil perfunctoriè, ſed ſapientisſimè omnia ad uſum aliquem, utilitatem præſtandam, hymnum ipſi dicendum facit, imo quotidie magis creat.

§. 5. *Sed quid Multis quælibet familia* vel hujus tricorporeæ arboris pars ſuam laudem meretur, & hominis gratia facta eſt, *dummodo caveamus* (ut loquitur *Magnus Carteſius* Part: 3. princip: §. II. III p: 44.) *ne nimis ſuperbè de nobis ipſis ſentiamus*, quod fieret non

modo,

modo, ſi quos limites, nobis nulla cognitos ratione, nec divina revelatione, mundo vellemus affingere, tanquam ſi vis noſtræ cogitationis ultra id, quod â Deo revera factum & ferri poſſet; ſed etiam maximè ſi res omnes propter nos ſolos ab illo creatas eſſe fingeremus, vel tantum, ſi fines, quos ſibi propoſuit in creando univerſo, ingenii noſtri vi comprehendi poſſe putaremus. Quamvis enim in Ethicis ſit pium, dicere, omnia â Deo propter nos facta eſſe, ut nempe tanto magis ad agendas ei gratias impellamur, ejusque amore incendamur: ac quamvis etiam ſuo ſenſu ſit verum quatenus ſcilicet rebus omnibus uti posſimus aliquo modo; ſaltem ad ingenium noſtrum in iis conſiderandis exercendum Deumque ob admiranda ejus opera ſuſpiciendum. Nequaquam tamen eſt veriſimile, ſic omnia propter nos facta eſſe, ut nullus ſit eorum uſus. Eſſetque plane ridiculum & ineptum, id in phyſica conſideratione ſupponere, quia non dubitamus quin multa exſiſtant, vel olim exſtiterint, jamque eſſe deſierint, quæ nunquam ab ullo homine viſa ſunt aut intellecta, nunquam ullum uſum ulli præbuerunt. D. T. O. M. operum ſuorum à ſe creatorum finem novit, quem temerè non ſcrutabimur, ſolum contenti omnibus in altisſimi ſui nominis gloriam utamur. Concludimus diſcurſum de fine verbis *Celeberrimi* DD. *Jungii* part. 2. ſect. 1. c. 10. aſſ. VII Doxoſcop; Quod *conſilium* naturæ Auctor in ſingulis univerſi ſpeciebus inſtituendis habuerit, homunculi divinare non poſſumus.

§. 6. *Cognitio rerum ſimplicium naturalium* ut & herbarum non eſt uniusmodi: licet enim circa plantas varia cognoſcere & variis quidem modis. In univerſum

autem

autem omnia æſtimantibus videtur *triplicem* potisſimum eſſe plantarum hiſtoriæ *notitiam*; quarum prior *Grammatica*, altera *Philoſophica*, tertia propriè *Medica* poteſt dici: hæc autem duplex *Galenica*, & *chemica*.

§. 7. *Grammaticam* plantarum cognitionem dixeris meritò illam notitiam plantarum, quæ abſolvitur cujuslibet plantæ nomenclatura. Etſi enim amplisſima ſit & difficillima hæc plantarm notitia, tamen in ſe conſiderata verè intra nominum ſeu verborum notitiæ ambitum conſiſtit: ſunt autem nomina plantarum alia vetera, quæ reperiuntur inſcriptis antiquorum autorum, partim Græcorum, partim Latinorum, partim denique Arabum, qui cum alias diſciplinas, tum herbarum quoque olim excoluerunt. (De Arabibus ſcribit *Bochartus l*: 1: Phaleg c. xv. p: 66. Ex eadem lingua ſcientiis omnibus, Medicinæ præſertim & Geographiæ & Matheſi, multum lucis accederet, ſi ederentur libri Arabici qui pasſim in toto oriente habentur manuſcripti. *Notum enim & apud Arabes artes & ſcientias floruiſſe per annos fere ſexcentos, cum regnaret apud nos fœda barbaries & literatura omnis eſſet prorſus exſtincta*) *Cæteroquin in una Bibliotheca Feſana triginta duo Millia voluminum Arabicorum fuiſſe, Erpenius, ex teſtibus oculatis & fide dignisſimis, retulit, in orat de lingua Arabica. Uti in ſecunda oratione, apud Arabes multa reperiri, quæ nos deſideramus ſcriptorum monumenta; Titii Livii libros omnes, Pappi Alexandrini Mathematici, Hippocratis, Galeni multa, atque aliorum.* Alia ſunt â Noſtri temporis præclaris Botanicis impoſita, cognitio diffuſa profecto eſt, neque adeo facilis. Scilicet ex quo avorum ætate res herbaria quidem excoli cæpit, cum ab aliis, tum præcipuè in Italia ab *Hermolao*

*molao Barbaro*, *Aloyſio Anguillara*, *Luca chino*, *Petro Andræ Matthiolo*, *Melchiore Guilandino*, *Andræa Cæſalpino*, *Joanne Pona*, *Ulyſſe Aldravando*; in Gallia à *Johanne Ruellio*, & *Jacobo Dalechampio*, tum in Germania à *Conrado Gesnero*, *Leonhardo Fuchſio*, *Hieronymo Trago* hujusque diſcipulo *Jacobo Theodoro Tabernemontano*, *Valerio* & *Auricio Cordis*, *Joachimo Camerario*: in Belgio denique â *Corolo Cluſio*, *Matthia Lobelio* & *Remberto Dodonæo* ab hinc, inquam, eædem plantæ variis nominibus â Doctisſimus illis ſcriptoribus cæperunt uſurpari, ita ut unum qui legit, alterumtamen ſcriptorem vix intelligat, quod quantum obſtaculum cognitioni rei herbariæ ponat, quamque remoretur Medicinæ ſtudioſos haud facile eſt dictu: Major Difficultas eſt circa notitiam nominum priſcorum qua tamen Ars Medica minime etiam carere poteſt, ceu infra apparebit; ſcilicet accepit Respublica Medica laudes virtutesque multorum ſimplicium â Galeno, Dioscoride, Theophraſto, Græcis; â Plinio, Cornelio Celſo, aliis, Latinis; â Serapione, Avicenna, ac ſimilibus, Arabibus ſcriptoribus. Verum Valde difficile eſt cognitu, quænam illa ſint veteribus ita laudata, & quibusnam plantis inter manus noſtras verſa tibus antiqua illa nomenclatura & laudes conveniant. Neque vero negari poteſt ab officinis multa non olim tantum, verum & nunc falſo vendi antiquis illis nominibus, quod ſane arti noſtræ, Medicæ Magnum detrimentum parit, ne nunc dicamus veterum ſcripta non poſſe intelligi multis in locis, niſi ad unguem calleas antiqua illa nomina iis, quæ nunc quoque ſuperſunt, plantis indere. Cum autem, ut ante diximus, veterum plantarum nomenclaturam nobis ſummè neceſſariam ſit optandum! nobis aliquis Hercules

cules oriatur, qui vetuſtos Medicos, qua Arabes, Græcos, qua Latinos, in unum corpus compingat, ſcholiis illuſtret, antiqua illa nomina explicet; huicque labori præprimis aptus eſſet illud incomparabile Germaniæ noſtræ Decus *Hieronimus Velſchius*, ut quo, in linguarum orientalium ſtudio, Sol Eruditiorem nunc non asſpicit, eſtque præterea antiquitatatum Medicarum hujus ſeculi ſcientisſimus, aut ſi fortè non eſſet unius hominis, poſſent ipſi adiungi ex Senatu Curioſorum Germaniæ, aut etiam aliqui ex Belgio, aliisque terris, & iis, qui hunc Atlantem ſuis humeris imponi paterentur, alii Magni viri omnino ſua ope ſuccurrerent; ut quod olim celeberrimus *Goldaſtus* ad Græcorum Medicorum monumenta perluſtranda (Erit foraſſis in Bibliotheca Mea, *inquit*, quibus inſtitutum hujusmodi non parum adjuvari poterit) in Epiſtola quadam *Hoffmanno* pollicitus eſt. Exque ſuis Bibliothecis affatim promerent, ſic aurum à ſcoriis purgatum acciperemus: Talem Herculem in *Salmaſio* virorum criticorum principe Reſpublica noſtra Medica habere potuisſet, ut de quo Celeberrimus *Gronovius* tale judicium fert: Ego ſæpisſime in ceteris ingenuoſitatem & judicium acerrimum viri illius Miror: adeo acutè inquirit in ſingula, eſtque in Magno illo opere (plinium intelligit,) vix pagina, in qua vel non à Scaligero vel à Caſaubono in diverſum abit, nec ſine ratione, hic Triumviratus hoc negotium facillimè expediviſſet. Sed Regeret forte aliquis, hunc laborem non adeo utilem futurum, cum veteribus commodè nunc carere posſimus: Reſp: Magni facimus hujus ſeculi experimenta, non tamen ubique aurum Apyrum præſe ferunt, quod eſt tale aurum, quod nullam alienæ ma-

teriæ ambiguitatem in ſe habet, ſed quam primum appa-
ret, ſolo adſpectu fidem facit ſe probum eſſe & ab omnis æris aut alterius metalli cujuscunque permixtione purum ut nulla coctione ſit opus ad illud expurgandum. Vete-rum quippe monumenta noſtris inventis ſæpius Lampa-da accendunt.

§ 8. Redditur porro hæc plantarum, ut ita loquar, Grammatica cognitio haud parum difficilis (1) *propter Arabicæ linguæ* ignorantiam, quam meritò quilibet Medicinæ ſtudioſus addiſcet, *Cleonardum* certè adeo Arabicorum amantem fuiſſe legimus, ut ſæpe auditus fuerit dixiſſe: malle ſe fruſtum panis edere apud librum Arabicum, quam in magno hominum ſtrepitu multum verſari: *Hornbeck* Summ: controverſ: l: 11. 80. inque hujus linguæ cognitione prælaudatus *Hieronymus Velſchius* parem non videt, & multorum orientalium Profeſſorum cognitio in Arabicis ultra Grammatices cognitionem ſe non extendit, & vix eam abſolverunt, quin ſtatim etiam volunt videri linguarũ Reformatores, noviq; inſtitutioniſtæ. (2) *propter plantarum* infinitam multitudinem, quis etenim tam divini ingenii, ut ſolum nomina plantarum recenſere valeat, Et huic difficultati eſt remedium, ſi aliquis Eruditus vir *Lexicon* poliglotton univerſale omnium plantarum concinnaret, quemadmodum Nobiliſſ. *Georgius* Naumburgenſis Medicus Lexicon vegetabilium uſualium nobis dedit; Et *Magnus AMMANNUS* ſuam ſupellectilem Botanicam, de quo viro præclara multa noſtræ Reipublicæ promitto; ſunt Multi Botanices profeſſores, qui ultra *uſuales* vix ullam plantam cognoſcunt: ſed fortè aliquis dicet *uſuales* ſufficere! *Reſpondemus* minimè gentium (1) Reliqua fruſtra non ſunt,

condita

condita (2) multas plantas præter uſuales ſcimus, quarum uſum in multis morbis debellandis ſæpius proficuum experti ſumus cum aliæ nos ſine ſolatio relinquerent; Nobis cognita herba quædam, quæ in nullis officinis uſualis, quæque *icterum* aliosque morbos deſperatos feliciſſimè curat, *An moxa uſualis?* Quæ eſt decentatiſſimum Remedium contra podagram; Notum quid *Geilfuſius* in Erudita Diſputatione de hac Lana exotica ſcripſerit; Et minimè dubium talem moxam quoque inveniri in noſtris terris: ſed ultra uſuales nihil ſcire conducit! proh! Utinam aliquis plantas in Sinarum terra creſcentes unà cum Methodo illic uſitata nos doceret, quam cognitionem quoque inter Medicinæ deſiderata ponit *Medicorum* Auguſtanorum Phœbus *Hieronymus Velſchius:* Et ita cuilibet civitatis phyſico injungeretur, ſupellectilem Botanicam circa ea loca in montibus, collibus, vallibus, aquis creſcentem annotaret, ſicque brevi Europæarum plantarum Lexicon adornare liceret: Et idem ſtudium tunc adhiberetur in reliquis mundi paribus, quid obſtaret, quod non aliquod Lexicon univerſale omnium plantarum in Mundo acceſſibili & detecto creſcentium poſſet conſcribi: Batavi, Britanni, Galli, Hiſpani in remotiſſimas terras navigationes ſuas inſtituunt; Dolemus hodiernæ ætatis vicem, quæ ſolum in *Alcali* & *Acido*, & ſucco pancreatico vult conſeneſcere, vel ſolum ex *Helmontio*, *Sylvio* & *Williſio* amant ſapere, quos *Triumviros* Magnifacimus, ſed homagium iis cum quibusdam umbratilibus & ciniflonibus non præſtitimus, debetur illis ſuus honos ob exantlatos magnos Labores, ſed & nobis Laborandum, non ſemper cum iis loquendum, aut ubi tacent, tacendum; *Medicus* eſt Na-

 turæ

turæ Myſta, hinc Naturam ſcrutabitur, *nulliusque autoritatis Vaſallus erit*, ne quid durius dicamus; multi enim non verentur integras paginas ex *Williſio* ſuis diſcipulis recitare, ita ut etiam hoc *plagium* Diſcipulis non ignotum ſit; hique nihilominus præ aliis ſapiunt etc. Quique forte hac ſervitute fungi detrectant, illos peponem pro cerebro habere oportet (3) *Difficultatem* eam adauget, quod eædem plantæ faciem ſuam immutent pro diverſa ratione ætatis, & ſoli vel loci, in quo proveniunt. *Huicque Difficultati* facillimè obviam itur: Et quidem ut memoria quis teneat figuras ſingularum plantarum, faciendum id eſt (1) *quod in* aliis rebus mamoriæ mendandis eſt obſervandum, nempe ut plantæ vel ipſæ vel certè earum figuræ & effigies diligenter & cum induſtria quadam tractentur: Et quidem ne fallat varia illarum plantarum facies, quam ætas efficit, obſervandum diligenter erit, quomodo plantæ ſingulis ætatibus ſuis ſeſe habeant. Hinc patet; in illum finem perreptandos eſſe montes, ſylvas, convalles, ſcrutandos porro lacus & ſtagna, atque ita hinc inde plantas varii generis colligendas, artificioſè inter chartam bibulam ex ſiccandas vel torculari exprimendas, quod, tamen poſterius genus non adeo probamus, genuinam enim faciem melius plantæ ſervant ſi ſeroſim in charta bibula exſiccentur; Quin & jam peregrinis in locis comparandas eſſe varias plantas, inprimis verò ſectanda ſunt illa loca, quæ vario plantarum proventu fæcunda ſunt: etſi enim nulla fere terra ſuas plantas non habeat, attamen *non omnis fert omnia tellus*, Et ſunt nonnulla loca fæcunditate plantarum præ aliis inſignia: ſunt autem illarum alia arte in id exculta, alia verò nativa dote inſtructa: prioris ordinis

dinis ſunt cum alii horti, tum cumprimis huic uſui addicti: ſcilicet avorum ætate cum Res Botanica cæpit ex veterno reſurgere refloreſcereque, egregio profecto & nunquam ſatis laudabili conſilio cæperunt nonnulli Maximis ſumptibus hortos ſtruere, copioſo herbarum proventu nobiles. Ac primo quidem omnium impenſis *Senatus Venetus*, urgente negotium *Franſisco Bona ſile* & *Daniele Barbaro Aquilegienſi patriarcha* conſtructus & ejusmodi *hortus patavi*, eique præfectus ipſe ille *Bonafides*, cui ſucceſsit *Aloyſius Mundella*, antehac Botanicus Romanus, qui iterum nactus eſt ſucceſſorem *Aloyſium Anguillaram*, *Lucæ Ghini* diſcipulum, & huic quarto loco Melchior *Guilandinus* ratione *Boruſſus*, quem quinto ſecutus eſt *Jacobus Antonius Cortuſus*, uti hunc Sexto *Proſper Alpinus*, ut alios nunc prætereamus, omnes ſingulari herbarum peritia admirandi & editis ſcriptis Clarisſimi: *Exemplo patavino* incitatus ſimilem hortum conſtrui curavit *Cosmus* Medices Magnus Dux Florentiæ, Heros ingenii & virtutis ſplendore non minus quam Celſitudine conſpicuus, (quidve hi Celſisſimi Duces ad artis noſtræ incrementum contulerint vide in *Noſtro Orbe Medico*) eique præfecit *Andraam Caſalpinum*, cujus de plantis opus exſtat præclarisſimum. In *Gallia* quoque in Monspelienſi urbe longe majoribus ſumptibus hortus conſtructus eſt, quem deinde per obſidionem urbis corruptum Henricus IV Rex donatis 18000 florenis fecit mirifice reparari; Ante aliquot luſtra adhuc majore ſumptu & cura cæpit conſtrui Pariſiis hortus longè Amplisſimus, rivis, collibus, ſtagnis, & convallibus variis inſtructus ſtudio *Claudii de Labreſſe* adeo ingenti liberalitate *Ludovici* XIV Regis. Jactet Antiquitas *Alexandri Magni*

Munifi-

Munificentiam & Liberalitatem, *Alexandrum* Magnum in hoc Glorioſisſimo Rege Renatum Stupet orbis etc:) ut tradatur donatus hortus reditu annuo 20000 Francorum, præfecto curæ hortenſi *Joanne Robino* Botanico celeberrimo. Angli quoque conſimilem hortum mirificis impenſis cæperunt ſtruere Oxonii. Ne Germaniæ quoque Noſtræ artium & ſcientiarum paradiſo de eſſet, Cautum & Amplisſimi Senatus Noribergenſis cura per *Ludovicum Jungermannum* virum herbariæ rei peritisſimum, horto inſtructo Amplisſimo *Altorffii*. Quod exemplum ſecuta *Academia jenenſis*. Inſignem verò famam meruit ſimilis hortus *lugduni* in *Batavis* ſtudio *Petri Pavii* adornatus: cujus herbarum catalogum adjecit alteri horto illi poſt Pavium præfectus *Adolphus* Vorſtius. Hicque Ducatus noſter Cimbriæ quoque optimis hortis Munificentia SEREnisſimorum principum Holſatiæ, Etjam Regentis SERE: Ducis Holſatiæ Domini Noſtri Clement: (*in quem D.T.O.M. divinarum benedictionum Cornucopia effundat, quemque Deus omni beneficiorum genere unà cum Serenisſimis iſtius Celſisſimæ arboris ſurculis beet ut omnia veſtigia Dei benedictionem ſtillent*) exſtructis gaudet, ita ut & nulli in Germania cedat loco, longeque meliora nobis pollicemur, ſi Deus terris pacem reſtituat! *pacem Te poſcimus omnes! ſed* quid multis hoc bellonæ tempore, & horti ſuum fatum experiuntur! ejusque cenſus etiam eſt hortus Nienburgenſis in Comitatu Oldenburgenſi, cui & vix Delmenhorſtanus cedit; Fridericopolitanus in Eiderſtadia eſt quoque Maximæ amplitudinis & capacitatis; etſi eandem cum reliquis laudem non mereatur; Fere hortum florenisſimum uberrimumque Berolinenſem tam proventu plantarum, quam

Celeberrimi, & incomparabilis viri, D.D: *Sigiſmundi Elsholtzii* præfecti Meritisſimi fama recommendatisſimum (qui & horticulturam Eruditisſime conſcripſit, cui junge Laurenbergii horticulturam) præteriisſemus. *Hortus* Lipſienſis & nulli horto poſtponendus, de quo egregium teſtimonium tulit celeberrimus D. D. *Ammannus* ejusque dignisſimus præfectus eſt.

§. 9. Diutius hortorum recenſui immorari nolumus. Sicque nunc Horti ita & quidem Academici apparentur, ut in duas partes Generales eſſent diviſi, prior pars in areas diſtinctus uſuales plantas proferret; Altera pars etiam rurſum in duas, quarum prior circa loca illa creſcentes plantas ſilveſtres foveret, altera exoticas, multa enim exotica vegetabilium genera in diverſis hortis provenire vidimus, tum revera huic difficultati optimum remedium eſſet inventum. De *hortorum* vero ſtructura etiam hoc monere operæ pretium eſt, illi adornentur in talibus locis ubi colles, minores Montes, Lacus, & paluſtria loca ſimul includantur quos & rivi perfluant & rivi irrigent; *Batavi* videntur in cultu hortorum omnes pene populos vincere (antea omninò dictum eſt de horto Medico Leidenſi, cui nunc præfectus eſt ille Floræ Apollo Nobiliſſ. *Arnoldus Syen* (*Quantum ad hortos* inquit Nobilisſimus *Funccius* in ſuo orbis imperantis Breviario quadripartito part. 4. cap. VII §. CXLIV. p. 374. 375. 386. (hujus magni viri Laborem ſtudioſis recommendamus qui deſiderant omnium Rerumpublicarum notitiam in aliquo compendio, quas nemo compendio commodiori ſine omni diſpendio conſcripſit, quam hic *Funccius*, in iſtis compendiis habent ſtudioſi, quod quærunt: utinam Vir Celeberrimus

rimus, omnes Ducatus ea Methodo nobis dediſſet) etc, *plurimi* omino in fœderatis provinciis inveniuntur. Ecce enim & ipſi privati homines per Hollandiam ac Zœlandiam Hortos oſtentant, qui ferunt, quicquid herbarum, florum, ſeminum, bulborum edulium & non edulium, arborum, fruticum, & vitium, totus orbis ſuppeditare poteſt præ cæteris vero multos admodum flores juvant, ut non ſine ratione aliquis exiſtimet, ipſam Floram inter Reipublicæ hujus fines ſedes ſuas conſtituiſſe. Integri hinc indices *Tuliparum* atque hortenſium Cariophyllorum, ſecundum diverſa nomina Belgica diſtinctorum exſtant: unde facile ſtudium Belgarum circa florum culturam cognoſcere licet. *Meretur* in ipſis notari (inquit prælaudatus *Funccius* §. CXLV.) inſignis illa *Tulipomania*: quæ ab anno 1635. ceu Epidemicus quidam morbus omnis ordinis homines, ipſos cerdones & textores quoque per fœderatas provincias ita occupaverat, ut in variis urbibus, Alcmariæ maximè Harlemi, Goudæ, Medioburgi, Ultracti, Cauponæ quædam, ceu Mercatoriæ burſæ conſtitutæ hahaberentur, in quas lepidæ hujus inſaniæ Myſtæ convenirent, floremque anno demum ſubſequenti naſciturum ratione etiam ponderis habita, ingenti pretio venderent, uno elegantiorum florum bulbo duobus aut tribus florenorum millibus æſtimari ſolito; (CXLVI) *Tulipa* nominis eſt Turcici. E Turcia enim hic flos allatus gentis nomen retinuit: quod & pileum notat Turcicum, & hunc florem, qui pileum Turcicum, Tulipanum Turcis dictum, refert. Uti verò flos, qui in Thracia maximè proprias habuit ſedes, & à Turcis ipſis ſtudiosè cultus pretioque æſtimatus apud *Busbequium* Epiſt. 1 legat: Turcic: legitur, à ſimitudi-

litudine pili Turcici. Quicquid ſit: nec tamen ſine ratione nonnemo Eruditorum dicit: Fortè & nomen *Tulipam* habere ab antiqua Belgica Tulpa aut Tulpiſch: quomodo vocatur homo ſtolidus & bardus. Facta etiam Tulipa, eſt, quum modus non ſervatus in ejus cultura fuerit, in Belgio *herba ſtultitiæ*. Hæc quaſi in *parentheſi* occaſionaliter, & incidenter adduximus ex *celeberrimo Funccio*.

§. 10. Præter hortos hos ſunt alicubi & loca quædam plantarum omnis generis fæcunda, quæ hortorum inopiæ & plantarum in iis creſcentium paupertati ſuccurrere poſſunt, *ſæpius enim illi horti tale judicium merentur quale aliquando quidam Magnus vir de cujusdam horti miſerrima cultura tulit videlicet caprum illic eſſe hortulanum*; &c. Et quidem hoc nomine jam tum paſſim locorum quædam præ aliis inclaruerunt, Sic in *Italia* inſigni fama eſt *Mons* Baldus in agro veronenſi, cujus plantas omnes ſingulari libello enumeravit poſt *Franſiſcum Caleolum Joannes pona* pharmacopæus Veronenſis Doctiſſimus, quod opuſculum *Carolus Cluſius* tam dignum cenſuit ut ſuis voluminibus inſereret, eſt autem 2da editione Baſileæ & auctius & emendatius exſcriptum. Similia loca habet & Germania Noſtra. Ita *Benedictus Aretius* enarravit plantas naſcentes in *Helveticis* montibus prope Bernam. *Caſpar Bauhinus* de Anatome & Re Botanica optimè Meritus plantas circa Baſilienſem tractum dedit; quæ circa *Altorffium* creſcunt *Ludovicus Jungermannus*; *plantas* pruſſiſcas *Johannes VVigandus* deſcripſit; cumprimis eſt ferax ſtirpium Hercynia Sylva, quas ſingulari libello recenſuit *Johannes Thalius* Medico *Northuſanus*; *plantarum* circa Lipſiam creſcentium ſupellectilem Erudito orbi exhibuit No-

biliſſ. DD. *Paulus AMMANNUS Amicus Noſter Singularis Galli* celebrant præcipua fama Galliam Narbonenſem, & quidem ſeorſim quæ circa Monſpelium & Gedanum ſunt.

§. II Quanquam vero hujusmodi loca, plus ſtirpium promant, reperire tamen alibi licet, quæ fæcundisſimis hiſce terris deſint. Nam illud quoq; obſervatione dignum eſt, cuilibet terræ proprias dotes plantas peculaires proferendi â Deo eſſe conceſſas. Quo pertinent aurea illa verba Nobilisſimi *Hoffmanni* in ſua clave Schroderiana l. I, c. XIII. §. XXVI. p. 24. *Mundi conditor*, inquit, loca immediatè replevit ſeminum ſuorum incomprehenſibili theſauro in Mundi finem duraturo, ſtata temporis maturitate proditur. Unde & peculiaribus locis peculiaria inhabitant *fermenta* à Deo verbo *FIAT* locata, ut ſint fundamenta & progreſſus ſeminum ſuccesſivorum in Mundi usque terminum. *Hactenus ille.* Sic ex *Xenophonte* Nobiliſſ. *Bochartus* l. 2. c. VI. in ſuo *phaleg.* p. 87. adducit locum: Quo altera pars *Armeniæ* deſcribitur in hunc modum *CYRUM* narrat *Euphrate* trajecto prope *Thapſacum*, inde nonis caſtris, paraſangis quinquaginta, progreſſum per *Syriam* (i e *Padam Aran*) ad *Araxem* amnem perveniſſe (is aliis eſt *Chaboras* vel *Aboras*) ibi fuiſſe vicos Complures frumento vinoque refertisſimos, illic per *Arabiam* (i e *Meſopotamiæ* deſerta) *Euphrate* ad dextram relicto, quinis Caſtris, paraſangis XXXV iter per deſerta loca feciſſe: in eo ſpatio campos abſinthii plenos latè patere in æquoris modum, eſſe fruticeta quædam aromatum inſtar fragrantisſimi odoris, ſed *arborem omnino nullam. Nos in ea ſumus ſententia cuilibet terræ* illarum plantarum, quæ adverſus morbos endemios vel

iſtius

iſtius *Soli incolis* proprios, connatos, proventum eſſe uberrimum: Sic obſervarit *Solenander* Medicus ſuæ ætatis feliciſſimus Conſultiſſimus iis in locis ubi copioſe aſſinthium & centaurium minus proveniunt, incolas plerumq, viſcerum naturalium pertinacibus laborare obſtructionibus. *Hermannnus Nicolai* obſervat: chirurgic: rar: Citante illum D.D. *Mœllenbrocio* viro Excellentiſſimo in ſua cochlearia curioſa; refert in *Gronlandiâ* & quidem urſorum monte *Tafelberg* dicto, *cochleariam* & *acetoſam* ita copioſe provenire, ut greſſus viatorum impediant, haſque plantas ſemper eſſe junctas & vicinæ quia ſeorſim ſumi non debent, ne ſingulæ per ſe ſumptæ noxam afferant, quippe alteram *ſale volatili*, alteram acido turgere, ex quorum mixtura intermedia qualitas exſultat; Noſtra *Alemannia* lignum *Guiacum* vel etiam ſanctum dictum famoſiſſimum illud contra luem *veneream* remedium non fert, quoniam ille morbus *Neapolitanus* non eſt Alemanniæ endemius, ſed aliunde tradux, animadvertique licet poſtquam ille exoticorum remediorum luxus *Teutones* infecerit, ut non inquilinis & connatis fuerint contenti, ſimul cum exoticis exoticos morbos *traduces* quoque frequentius graſſari cœpiſſe, quis enim unquam proavorum memoria vel fando audivit de Fracaſtorii *Siphilide*, quo nomine hanc luem indigitat: quam quidam ortam volunt Anno 1494. alii natales ejus volunt eſſe *indiam occidentalem*, ubi endemius eſt, & quod *Columbi* milites redeuntes ab invento orbe occidentali eum morbum tranſtulerint in *Hiſpaniam*: Hinc Cataneus vult eſſe morbum novum ortum in *Italia* Anno 1494, Exortus eſt in *ITALIA*, inquit, monſtroſus morbus, nullis ante ſeculis viſus, totoque in orbe terrarum incognitus:

gnitus: Et novum eſſe affectum celebriores ſtatuunt, nos iis calculum apponimus, qui patriam ejus Indiam faciunt: perque commixtionem multi morbi communicati, hinc etiam adhorum morborum *exoticorum* curationem exotica requiruntur remedia, & quoniam etiam iis delectamur, hinc etiam iis cum hoc fænore & uſura utimur, ut ſimul quoque mala iis terris endemia perferamus, hancque noſtram voluptatem maximo valetudinis vectigali diſpendioque redimimus. Sic & *Gallia* noſtris remediis ſcelotirbicis caret, quoniam ſcorbutus in illa terra non adeo frequens, conſule practicorum fidisſimum *Achatem* Medicorum *Geilium* Nobiliſſ. *Lazarum Riverium praxeos* l. XII. c. II. pr. 76. Et de *Cochlearia* ſcribit p: 84. Inter illa autem primo Loco laudatur *Cochlearia Batavica*, quæ in noſtris regionibus non reperitur. *Habet idcirco* quælibet regio uberrimam materiam, ex qua posſit antidota contra morbos endemios parare. Quo ſpectant verba Cl: *Helmontii*: *Omnipotens fecit ſanabiles*, inquit; *omnes nationes* terræ, nec advectas inde *de littore merces exſpectandas voluit*, ut neque ante cognitas indias Mortalibus propitius fuerit. Inquilinis ergo morbis domi ſunt ſua invenienda remedia, cuique regioni morbis inibi graſſantibus ſufficientia iisdem influentiis cum incolis *affulſa.* Etc. Ut minimè opus ſit peregrinos accerſere *Deos*; ſicque mortem Caris pretiis emimus, neque propriis malis endemiis ſumus contenti, quaſi nobis deeſſent, quæ vitæ filum abbreviare valeant, ſed è peregrinis terris accerſimus vitæ noſtræ inſidiantes hoſtes: vide quid De *Bezohar* diximus in præfatione hujus operis, & hoc de omnibus exoticis affirmamus etc. *Nero* legem tuliſſe fertur, *Qua iis* dumtaxat

taxat uti medicamentis, quæ noſter orbis gignit, juſſi ſunt, quod noſtræ *naturæ conveniant* magis, ea recentiora trans marina *majori* cum *periculo* ac *difficultate* ac ſumptu haberi & aſſumi posſint: Et nunc invaluit illud diabolicum mangonium vel artificium *adulterandi; vide præfat:* Sed quid invehimur amplius in exotica, cum noſtra *voluptas* nunc tranſierit in *necesſitatem* & *utilitatem*, quoniam cum peregrinis commercia habemus, eorum *Morbonæ* corpora noſtra offerimus, hinc etiam eorum antidotis indigemus: quippe hoc *Carcinoma* nullam amplius curam eradicativam ſuſcipit, *palliativæ* manum admoveamus, & quantum posſibile mercatorum avaritiam compeſcamus, ne adulteratio & mangonium adeo frequenter inſtituantur cum tanto valetudinis diſpendio, hisque fraudibus interdictis, pœnis in eos fraudatores magis magisque ex acerbatis, officinas noſtras pharmaceuticas ſelectioribus medicamentis exoticis, experientiæ multiplicis fide corroboratis impleamus, locupletemus & ditemus, ut ſic quoque curentur non ſolum *Endemii* inquilinis, ſed exoticis *Sporadici*, obviamque eamus *MORBONÆ* in noſtram Alemanniam *TRADUCI*, hoc autem non felicius, quam iſtis ſub peregrino ſole natis antidotis expeditur, ſicque amplius *exotica* non erunt *tubera luxuriæ*, ſed *Ubera Miſericordiæ Dei*, quibus miſeriis aliunde propter commercia cum exteris ad nos traductis ſuccurrere vult.

§. 12. In his & ſimilibus locis licet ſane ſpectare plantas nativa indole, ſucco, ſolo, adhuc gaudentes. Et tamen alia adhuc via ad plenam cognitionem perveniendi adeſt, cujus ſupra ſaltem metam tribus verbis oſtendimus, jam integram viam & fores ad eluctandum ex hoc Labyrintho

byrintho aperiemus; *nempe ſi* ſæpius inſpiciantur & ſedulo verſentur *ſtirpes ſiccæ* aptè tamen *compoſitæ*, (præprimis hoc in ſtudioſis Medicinæ, quod arti pictoriæ nullam dent operam, aut ſi dant, perfunctorie ſaltem quaſi aliud agendo ei incumbant, deſideramus; ſumma autem ejus eſt neceſſitas in arte Medica) *ſicque compoſitas vel adhuc vivas ipſi delineent*, *propriisque coloribus quantum poſſibile illuminent*, dici non poteſt, quantum illud proſit, & quomodo hoc rerum effigies Memoriæ inſcribat; Nullum quidem latet penè omnis generis ſtirpes artificioſe explicari & in libris diſponi, ita ut ſiccæ quoque illæ pleræque oculis poſſint exponere, ac in hoc viridario artificiali oculos paſcere, animum recreare, quæ in vivis notatu digna ſunt. Ejus generis libri *Vulgo* Herbaria viva; *Adriano Spigelio* horti hyemales, minus tamen feliciter appellatione uſurpantur, nobis dicuntur *viridaria artificialia*. Quorum parandorum ars minimè difficilis vel ardua vel ſumptuoſa, Et quamvis nunc alii eam docuerint Spigelius l. 1. tum ſingulari libello *Guilielmus Laurenbergius*; Noſtram tamen Methodum communem dictabimus: (curioſam herbas integras condendi in uſum Botanicum adhuc pro noſtris filiis reſervamus, quo artificio herbæ parum â nativo ſuo vigore differre videntur) (1) *parandi* vel compingendi ſunt Duo libri in folio, ut dicitur, *Alter* ex charta *Bibula* ubi cuilibet folio annexa ſic Charta pura *quaternionis* forma, hicque liber in tres Generales Claſſes dividendus, prior Claſſis contineat plantas hortenſes, ſecunda exoticas, tertia Sylveſtres: Exoticorum in officinis licet habere copiam affatim, præſertim ſi iis locis vivas ubi id generis commercia exercentur; in rem ſanè fuerit tyrones vel

in

in officinis illis ejuſmodi ſimplicia ſæpe verſare, vel ſibi ipſi quaſi ſupellectilem aliquam ejus generis comparare. Ita in his exoticis non minus proficere poterit quam in aliis ſtirpibus; Sed hoc dolendum *Mangonium in officinis regnare*, & præprimis Exoticæ ſpecies ſunt adeo minus *cognoſcibiles*, ut vix quicquam notitiæ inde emergat, niſi ſimus in locis, ubi ſtatim ex navibus ex iſtis plagis terrarum venientibus promantur. In locis longè â mari remotis illud negotium eſt admodum infelix & minus fidum; neque Svademus illarum urbium officinas, in quibus illa commercia non tractantur, adeo frequenter inviſant, ne *ſpecies mangonio coruptas & adulteratas* pro veris & genuinis addiſcant, itaque *poſtea non queant judicare differentiam inter adulteratas & Legitimas, qui enim nunquam rem in genuino & nativo ſuo ſplendore vidit, ille etiam nunquam judicium ferre poteſt de illa, & ſic ipſis â ſeplaſiariis ſæpius fuçum fieri patienter tolerant*; *ſæpius* quoque *in talibus civitatibus practici ſunt ſolum fama ſatis celebres, qui hac in re ſuis ſeplaſiariis credunt*, & *ne unicam ſpeciem genuinam ipſi noſcunt.*(2) *Alius* liber eſt compingendus ex charta pura, in hoc ipſi ſtudioſi Medicinæ depingant plantas vivas, & quantum poſſibile colore ipſis proprio illuminent, plus enim talis liber diligentia depictus ad cognitionem plantarum conferet, quam quicquam aliud;

§. 13. (3) Huic difficultati Medicina etiam pararetur; ſi in *Academiis*, præſertim in auditoriis Medicis & philoſophicis *tales imagines parietibus* affixæ eſſent quæ exhiberent artificioſa manu delineatas proprio vivoque colore illuminatas plantas uſuales hortenſes, ſylveſtres illic locorum naſcentes, in parva enim tabula bis mille plantæ propriis

nominibus inſignitæ facillimè repreſentantur: *ſpecimen hujus laudabilis inſtituti in Auditorio noſtro Medico videre licet, quod ornat imago, in qua depingitur Aloe Gottorpienſis admirandæ Magnitudinis: Elegans* profecto *noſtræ Academiæ ornamentum.* Tales tabulæ imaginibus plantarum exornatæ etiam puerorum oculis ſæpius objiciendæ ſunt, quos arti Apollineæ conſecraturi ſumus; quippe *Plato* lib. de Legibus: *Aſſero equidem eos qui præſtantes Viri in aliquo evaſuri ſunt, ab ineunte ſtatim pueritia oportere id ipſum tam ludendo quam ſtudendo in ſingulis ei negotio convenientibus meditari. Nempe ſiquis peritus Agricola aut ædificator futurus & ludentem oportet à prima ætate vel colere terram, vel puerlles quaſdam domos ædificare: atque eum, qui educat utrumque, utrique inſtrumenta quædam parva, verorum inſtrumentorum imagines, præparare. Ex Doctrinis quoque eas perdiſcere debent, quæ ad rem ſuam faciunt. Quippe futurus faber menſurare ac regula uti: Eques futurus equitare ludendo, aliquid hujusmodi facere: in omnibus enim ludendo conari debemus, ut eò voluptates & cupiditates puerorum vertamus, quò eos tandem pervenire cupimus.* Sic etiam pueri Medici futuri volvant, revolvant tales libros illis plantarum imaginibus ornatos, quibus præter plantarum nomina nihil quicquam adſcriptum; ſicque conducit habere præceptores eidem ſtudio addictos, cui filios ſacrare volumus, ſed hoc obiter & quaſi in parentheſi:

§. 14. (4) *Porro & alia datur* ratio addiſcendi plantarum effigies, videlicet per *ſignaturas*, non intelligimus heic iſtas ſignaturas *Crollianas*, quæ ſunt ſcopæ diſſolutæ; ſed quales *partim* Docuit illud Lipſienſis Academiæ Decus incomparabile D. D. *Paulus AMMANNUS* in plantarum ſigna-

ſignaturis; hocque *AMMANNI* opuſculum vix quaternione conſtat, tamen plus commmodi in Medicinæ ſtudioſum redundare valet, quam ex ingenti volumine: partim *effigies* in certas figuras coloresque diſtinguendo, de qua re aliis diſcurrendi anſam captabimus, ne huc omnia transferamus!

§. 15. (5) *Datur & minoris* commodi ad illam cognitionem ſtirpium, de qua nunc agemus, perveniendi via; nempe per effigies ſtirpium ad vivum ſive depictas ſive aliter efformatas. Quamquam enim ætas majorum hac in re minus fuerit inſtructa, abhinc centum verò annis mirificè excultum eſt: Et quidem primi omnium in id incumbere cæperunt *Hieronymus Tragus*, *Leonhardus Fuchſius*, *Petrus Andreas Matthiolus*, & *Conradus Gesnerus*. Cæterum Tragi hiſtoria Stirpium tantum icones hujusmodi 567. nec eleganti penicillo ductas; *Fuchſius* verò edidit 506 longe elegantius depictas; plures longe & complures exhibet nobis Editio commentarii *Matthioli* in *Dioſcoridem* italica, utpote quæ continet 1568. quot numero etiam reperiuntur in aliis *editionibus* commentarii *Matthioli* minus tamen elegantes. Quin & Germanicæ verſionis editio â *Camerario* curata addidit figuras 123. imo & *Caſpari Bauhini* editio adjecit figuras 330. ut ita editio illa exhibeat jcones ſtirpium 1898. ſingulari quadam ratione depingi & ſculpi jcones ſtirpium fecit *Conradus Gesnerus*. plantas enim quaſi in partes diviſit & ſeorſim ſingulas exhibuit ſpectandas: verum operi inmortuus nihil ipſemet horum edidit, quas tamen nactus & *Joachimus Camerarius*, qui ad eundem modum ſimiles plurimas alias confectas, præter *Gesnerianas* in Epitome Matthioli, & quidem plus quam mille ex-

 hibuit

hibuit. Communem rationem ſecuti *ſunt Matthiolus Lobelius*, *Rembertus Dodonæus*, & *Carolus Cluſius*, quorum icones *Chriſtophorus* Plantinus ſculpi curavit, quæ cauſa & quare eædem prorſus in horum ſcriptis plerumque occurrant. Et quidem *Lobelii* Hiſtoria, quæ *Antverpiæ* prodit ſuperioris ſeculi Anno 1576. exhibet figuras 1476 *Dodonæi* autem itidem *Antverpiæ* edita anno ſuperioris ſeculi 83. 130[illegible]. Et quidem in his ſcriptoribus duobus reperire & pha[illegible]tas, quæ paſſim obviæ, ſuntque exparte vulgares: At *Caroli Cluſii* Hiſtoria, quæ itidem *Antverpiæ* prodiit Anno 1601. variarum ſtirpium figuras dat 1135. in exotico opere habentur figuræ 194. in *Lobelio* vel *Dodonæo* ac *Carolo Cluſio* ingentem numerum plantarum optimè depingi. *Plures* tamen & quidem Germanicarum maximò ſtirpium exhibuit nobis & quidem accuratè ſatis depictas *Jacobus Tabernemontanus;* utpote in cujus opere ſpectare liceat figuras ſtirpium 2087. Quibus plures adjecit *Bauhinus* editione operis *Tabernemontani* altera ut proinde hoc opus *Tabernemontani* hac quidem in re facile palmam præ omnibus ferat. Nec tamen fraudanda ſua gloria venit univerſalis plantarum Hiſtoria, quæ duobus amplis voluminibus *Lugduni* in Gallia prodiit ſuperiori ſeculo habens ſcilicet figuras 2686. Sed rectisſime obſervatum eſt â *Caſparo Bauhino* circiter 400 figuras in illo opere bis reperiri, cæteroquin non reſpondere ipſis plantis, alias vitio laborare, in quam rem doctisſimi & Laborioſiſſimi viri ſingularis liber exſtat. De iſto *opere Lugdunneſi* notatu digna ſunt, quæ memorantur â *Thuano* l. 2. vitæ ſuæ. *Lugduni*, inquit, *Thuanus Terneſii & Rovillii* Librariorum Apothecas evolvit, & *Jacobum Dalechampum* vidit, qui tum â ſuo *Plinio* occubatur & her-

bario â *Ravillio* inſtituto dabat operam, in quo id obſervandum, quod ad ipſo *Dalechampio* reſcivit, & ut omnes ſciant publicæ utilitatis inter eſt, quis illud â diverſis triginta ferè annorum ſpatio congeſtum & concinnatnm eſſe, & jam typis majorem partem mandatum, cum *Dalechampus* ei ultimam manum impoſuit, quo factum quidem, ut quædam accuratius, quædam minus diligenter ſcripta, quædam ea repetita & interpolata reperiantur, ita tamen ut poſtrema ſemper ſint meliora. *Hæc Thuanus.* præter hos ſcriptores verò, qui omnium pene ſtirpium imagines tradere nobis allaborarunt, ſunt nonnulli ſeorſim noviter ſibi obſervatas aut rectius expreſſas depinxerunt, quæ itidem & imaginum genera ſaltem in nonnullis merentur conſuli; Cujus generis ſunt cum alii libri, tum hortus Floridus *Criſpini Paſſæi*, in quo rariores & minus Vulgarium florum *icones* ad vivam veramque formam accuratiſſimè delineatæ 325 reperiuntur: Horti item *Euſteteuſis* deſcriptio contines figuras 1083. Nec Non *Emanuelis* Svvertii Florilegium, Deſcriptio *Montis Baldi Joannis* ponæ: *Proſperi Alpini* de plantis ægyptiis, item de plantis exoticis libri duo â filio ejus Editi ſeculi hujus *Anno* 28. in quo poſteriore opere præcipue ſpectantur ſtirpes cretenſes. Eodem facit Et *Jacobi Cornuſi* liber, quo herbas Canadenſes ſatis egregiè & deſcriptas & depictas nobis edidit ante paucos annos: plantarum quoque ægyptiacarum imagines aliquot hactenus non viſas ante aliquot annos edidit Elegantiſſimo libello *Joannes VVeslingius.* Quin & *Caſparus Bauhinus* in prodromo ſui Theatri Botanici exhibet novas plantarum â ſe primum deſcriptarum imagines 140. indubie verò idem in Magno ſuo Theatro Botanico

 plures

plures quam quiſquam alius nobis oſtendiſſet, niſi tanti operis editionem & Mors viri Maximi & Germaniæ triſtis tempeſtas hactenus primo fuiſſent remoratæ; quam tamen curante filio *Francofurtum* nobis dedit; Hunc imaginum Theſaurum locupletabit, ſi typis rectè ederentur picturæ illæ imaginum *Americanarum*, quas philippi Hiſpaniæ Regis impenſis, & quidem ut refert *Joſephus Acoſta* 60000 Ducatorum. In unum volumen congeſſit *Franſiſcus Hornandes*, Medicus Hiſpanus, & quamvis *Acoſta* ſcribat in illo opere depingi plantas plus quam mille ducentas, alii tamen promittunt numerum plantarum 3809. An opus hoc ditiſſimum, quod Acoſta indigitat, lucem viderit, ignoramus. *Epitome* quam *Eriderici Cæſii* Lincæorum Ducis auſpiciis æri inciſis imaginibus confecit *Nardus Antonius Rochus Neopolitanus Italus*, quoque publici juris ſit, cum certisſimè ejus editionem promiſerint. Hoc modo enumeratos ſimilesque libros, ſi ſæpius evolverimus, imagines certè plantarum præcipuarum non poterunt latere. Et Negari non poteſt & hanc ſtirpium inſpectionem multum conducere ad parandam ſtirpium illam notitiam, de qua nunc dicimus; omnibus modis indipiſcendi notitiam plantarum præponimus pictoriam artem, qua ſtudioſi Medicinæ ipſas plantas vivas depingunt; neque vero ullius ponderis ſunt, aut prolixa refutatione digna, quæ adverſus imagines illas & olim *Plinius* & priſcis ſeculis *Janus Cornarius* diſputarunt, cauſantes plantas pro ætate multis modis mutari, imo indies aliquam viciſſitudinem pati; adeoque ex imaginibus cognoſci plantas non poſſe. Reſp. Multum & iſtis imaginibus non tribuendum eſt, niſi aliæ rationes addiſcendi iis jungantur, hinc quoque à nobis

nobis dicitur *ratio minoris momenti*: hoc verò argumentum nihil evincit, cæteroquin omnes deſcriptiones plantarum, quæ quidem hactenus prodierunt, poſſemus pari jure rejicere, utpote quæ plantas non niſi florentes magnam partem deſcribunt, Imo licuerit damnare omnem etiam inſpectionem, quodlibetque plantarum virentium Scrutinium;Non opus autem eſt verbis cum uſu quotidiano ſit notisſimum imaginem benè & accuratè depictam longè exquiſitius & certius docere figuram & ſimilia, quia in oculos incurrunt, non ſtirpium tantum, ſed aliarum quoque rerum,quæ poſſint præſtare amplas quoque deſcriptiones.

§.16. *Cæterum* De modis comparandi cognitionem illam herbarum, qui in viſum incurrunt ſatis dictum: *Nomina* verò quòd attinet, eorumque cognitionem, obſervandum eſt, aliam eſſe cognitionem nominum eorum, quæ jam ſunt in uſu, & ſic omnino impoſita. *Alia* nominum imponcndorum. Fieri autem poteſt, ut quidem ſciat quis, quo nomine appelletur hæc planta aut illa, neſciat nihilominus, an rectè ita nuncupetur: Et ſi offeratur planta, que hactenus fuit anonyma, aliquo tamen vocabulo indiget, quo ab aliis ſufficienter diſtinguatur. *Porro nomina plantarum alia ſunt nova, alia antiqua Græcis Latinis, Arabibus uſitata. Tum & illa, quæ in ſacris litterarum pandectis occurrunt*; De veteribus aliquot controverſiarum chiliades, quodnam ſcilicet nomen antiquum ſtirpibus, quomodo illud noſtris conveniat.

§. 17 *Negotium* illud nominum, quibus plantæ nominantur, difficile eſt admodum & moroſum reddidit recentiorum quorundam ſcriptorum nimia contentio, dum

dum quisque etiam in nominum impoſitione ſingularem Eruditionis laudem eſt aucupatus, dumque hoc pacto veterum nomina explicare vel etiam corrigere novam nomenclaturam ſubſtituendo magis obſcurarunt, majoribusque difficultatibus involverunt, imo ex via plana novum Labyrinthum fecerunt, ex quo emergere haud liceret, niſi noſtra ætas noviſſima filum Ariadneum tenderet; uti audiemus in fine de Grammatica plantarum cognitione. Hincque illa ingens nominum & copia & varietas ſuum ortum trahunt. Huic difficultati ſuo tempore primum remedium juvenit *Caſparus Bauhinus* incredibili ſua diligentia, exantlatoque labore Herculeo primo quidem edita *phytopinace* inde vero *pinace* Theatri Botanici, quo ſingularum plantarum variæ appellationes â præcipuis Botanicis profectæ recenſentur. Sed & jam ante cum ad *Matthiolum*, tum ad *Tabernemontanum* ſua diligentia reviſos, emaculatos recuſos, ſynonimas ejusmodi appellationes congeſſerat. In *Eodem* quoque ſtabulo Augiæ purgando plurimum Laborem inſumſit *Caſpari* Frater *Joannes Bauhinus*, ceu apparet ex variis ejus libris de re Botanica publicatis idem promiſit magnum opus de ſynonymis ſtirpum; diu caruimus, ſed nunc *Deo juvante*, unà cum ampliſſima ejusdem univerſali ſtirpium hiſtoria, cujus catalogum hæredes anno hujus ſeculi 19 *Elvoduni* publici juris fecerunt, tanto cimelio Reipublicæ noſtræ ærarium ditatum eſt. Rei Botanicæ Tyro ſtudium ſuum ſatis benè impendit, dummodo illa nomina, quibus *Botanicorum* principes noſtræ ætatis, *Cluſius*, *Dodonæus*, & *Tabernemontanus*, *Pancovius*, & Novisſime *Celeberrimus* AMMANNUS in ſua ſupellectile, *Celeberrimus Franſcius* in ſuo Lexico, *Nobilis-*

*Nobiliſſimus Gieſwein* in ſuo ſyſtemate, incomparabilis *Hoffmannus* Amicus noſter dum ſpiraret ex paucis charus, in ſua clave ad *Schroderum*, cui junge editionem *Schroderi Batavicam*, pleraspue plantas officinales ſignificarunt. *Imo* Meo arbitratu ſufficeret tyroni rei herbariæ, ſi in nomenclatura plantarum preſſè ſequeretur eum profeſſorem, quo cum haſce Botanicas deambulationes inſtituit, quem ut plurimum *Franſcii* lexicon comitatur.

§. 18. *Alius labor ſitus* eſt in cognitione nominum recta, ubi obſervare jubemus innumeras plantas veteribus ne quidem nominetenus innotuiſſe, adeoque noſtras omnes nomenclatura veteribus uſitata velle appellare, crimen eſt dementiæ proximum. Et cum ſic veterum nomenclatura nullam legem nobis faciat, parum refert, quo vocabulo planta aliqua inſigniatur, & nobis heic cujuslibet Experti Botanici nuncupatio plenæ & Authenticæ fidei eſt, cum efficacia plantæ â nomine nihil ſortiatur. Optandum tamen eſſet; nam uti in jure civili multa ſunt, quæ peculiari deciſione Imperatoris indigent, Academia curioſorum hunc laborem ſibi ſumeret, & cum famigeratiſſimis Europæ Botanicis conferret de Certa aliqua univerſali plantarum nomenclatura latina ſancienda, omniumque conſenſu impetrato, communi opera *Lexicon Univeſale Latino Germanicum*, additis linguis in Europa uſitatis, publicarent ſub communi nomine omnium membrorum tam ſocietatis Regiæ Britannicæ, quam Academiæ curioſorum collegarum perilluſtrium omniumque ſocietatum Botanicorunq; nunc eam ſcientiam profitentium, & ſimul juramento promovendorum inſerereretur, *ſeſe contra hanc ſemel receptam totquè Magnorum virorum autoritate corrobo-*

*ratam Nomenclaturam nihil Moliturum*, hoc Majori jure juramento candidatorum poſſet inſeri, quam ut in quibusdam Academiis juramento candidatorum philoſophiæ inſeritur, ſeſe *Ariſtotelem defenſuros*, illumque ſectaturos, quod eſt Bellum indicere rationi; & veritati, liberaque ingenia mancipere, quot paraſangis tot perilluſtres animæ Ariſtoteli Gentili homini ſunt præponendæ: Huncque laborem inter *Academiæ* curioſorum & omnium ſocietatum deſiderata quoque collocamus:

§. 19. Sed Revertimr è biviis in viam: Haud malè tamen, imo cum fructu quædam plantæ & veteribus incoguitæ poterunt appellari nominibus, quæ deſignent notam aliquam plantæ ſive in odoribus, ſive ſaporibus, ſive in externa figura, ſive denique in viribus poſitam. Sic *planta* illa indica, quæ cum naſturtio noſtro ſimilem ferè ſaporem habet, optimo jure *Naſturtium* indicum nuncupatur, non obſtat quod figura â noſtro naſturtio diverſa ſit. (inter duos Magnos viros aliquando acriter certatum eſſe ſcimus de vocabulo *Naſturtii*, alter *Naſturtium* alter *Naſtortium* Volebat, noſtro arbitratu uterque verum dixit, vocabula valent uſu ut nummi; neque ideirco quemquam condemnamus in nominibus dicendis, quæ etiam dependent à noſtro arbitrio, alia res eſt in nominibus Theologiam concernentibus, ibi nihil immutandum temere niſi cenſuram Theologorum vel fulmen Anathematis incurrere velimus, ſcimus enim quid de *Caſtellione* ſtatuat *Thuanus*, quod manus impuras ad ſacra tractanda attulerit, cum â rebus ad tantum opus homo imparatiſſimus veram Bibliorum interpretationem temeritate inſolenti molitus eſſet: l. 36. Hiſtor: Et *Sixtus Senenſis* l: 8:

eum ſemipaganum interpretem nominat, etc. tale quid ut nos Medici in Nomenclaturæ transpoſitionę vereamur, minime opus. Eodem jure plantæ *conſolidæ*, quæ earundem ſunt cum vulgari *conſolida* virium, in vulnerum conglutinatione, addito ſaltem nomine â figura, colore deſumpto E. g. *conſolida* latifolia, anguſtifolia, perdifolia, vel â *colore*, flava, citrina, rubra, alba, â *loco* montana, paluſtris, aquatica; â *temperie* calida, frigida, etc. Et *irides* E. g. appellantur omnes flores ejusdem cum *iride* vulgari *figuræ*.

§. 20. *Maxima* difficultas & circa plantarum nomina antiqua, â *Theophraſto*, *Dioſcoride*, *Galeno*, *Græcis*; Et *plinio* & *aliis Latinis*, denique *Arabibus Medicis* (quibus ipſis etiam multa debemus, non minus ferè quam Græcis) ad nos tranmiſſa cum enim inter manus noſtras plantæ plurimæ verſentur, id quæritur, quænam illarum antiquis illis nominibus debeant uſurpari: neque vero fidere ſtatim licet uſitatis paſſim appellationibus, utpote cum Rudes Seplaſiarii *avorum ætate* plurimas herbas pro veterum herbis per imperitiam & contumacem ignorantiam, quam emendare noluerunt, vendiderint. Eam ſanè ob rem, & uti plantæ veteribus uſitatæ ſine errore venirent, iterum in uſu â præclaris viris ab avorum usque ætate, ad noſtras usque dies diligentiſſimè eſt laboratum, & nondum elaboratum, & de felici fine omnino deſperamus; ſcilicet quippe medio ex hoc labyrintho elabendi propria culpa deſtituimur, hæcque eſt contradicendi libido.

§. 21. *Magnorum* virorum conatus merito hic laudamus: Ac primus quidem omnium oceanum hunc ingresſus eſt *Hermolaus Barbarus Patritius* venetus, in Eruditiſſi-

 mis

mis commentariis in *Dioſcoridem* & *Plinium*. Poſt illum in Gallia ſummo ſtudio idem tentavit *Johannes Ruellius* grandi volumine edito de ſtirpium natura. Et lucum hunc ſuccidere quoque laborarunt noſtri *Teutones*, præprimis *Auricius cordus* edito inſigni libello, cui Titulus *Botanologicum*, ſive colloquium de herbis: Majus tamen hic operæ pretium fecit ejus Filius *Valerus Cordus*, juvenis egregius, Neſtorea ætate dignus, præmaturo obitu huic mortali auræ ereptus. Hujus ſatis inſignia commentaria ad *Dioſcoridem* alioſque ejusdem argumenti libellos conſcripſit *Conradus Gesnerus*, Studuit idem *Hieronymus* Tragus in ſuo herbario, ſed ponte dejectus propter inopiam veteris *literaturæ*; omnes tamen illos ſuperavit hac in re *Leonhardus Fuchſius*. Cæterum & hunc longe intervallo antecellit *Andreas Matthiolus* edito longè eruditiſſimo commentario in *Dioſcoridem*, qui omnium ante ſe ſententias hujus argumenti & commatis diligentiſſimè excuſſit, veterum monumenta perſcrutatus: Attamen nec ille in omnibus veritatis palladium acceſſit; itaque in diverſam ſententiam conceſſit & *Amatus Luſitanus* in commentario ad *Dioſcoridem*, contra quem tamen edito Apologetico ſcripto ſatis viriliter ſententiam ſuam tutatus *Matthiolus*. Longe majore cura & Doctrina Theonem ſuum, & quinque de ſtirpibus Epiſtolas adverſus *Matthiolum* edidit *Melchior Guilandinus*, patria *Boruſſus*, ſed profeſſione *patavinus* VIR infinitæ lectionis & ingenii admirandi in inſectandis tamen aliis juſto *vehementior*, oppugnavit. Plurimum quoque ſudorem in eodem commate inſumſit *Conradus Gesnerus*, qui cum ad rem hanc attulerit Latinæ Græcæque linguarum peritiam inſiguem, judicium acerrimum, incomparabi-

parabilem diligentiam, indubiè feliciſſimus in negoti hoc verſatus eſt: Verum hi optimi viri labores neque â *Caſparo Wolffio Tigurino Medico*, neque â *Johanne Camerario*, quorum uterque commentarios illos editurum pollicitus erat, hactenus, quantum nobis conſtat, lucem non viderunt, ut ut ille unicus tractatus de *Aconito* ſatis oſtendat fuiſſe *opus incomparabile*. Sed horum virorum culpa illos labores *Gesnerianos* non credimus eſſe ſuppreſſos, forte non adfuit *obſtetrix* ad eos partus ſuſcipiendos, *ingenii enim partuum obſtetrices ſunt Magnificorum virorum expenſæ*, & *typographorum operæ* fideles: ut de priori genere nunc nihil dicamus: quamvis etiam hujus ſeculi liberalitas in promovendis Doctorum virorum laboribus adeo rara ſit; *Titulum de donationibus ſenio & inuſu obſoleviſſe, ut jure inter abrogatas leges recenſeri debuerit, iocatur an indignatur Baudius* cent: 2. Epiſt: 71. apud Cel. *Wiſſenbach*. diſput: 14: inſt: §. 24. p: 173 dantur tamen adhuc aliquot Munificentiſſimi Domini qui præclara Magnificentiæ Specimina edunt; nos multum iis Dominis debemus; *Typographorum qualitates* optimè depinxit ad vivum *Gronovius ſummus* VIR in quadam Epiſtola Celeberrimo *Richtero* inſcripta, *quod genus mirifice* inquit, *Eruditis illudere noſti, quia ex ſe famam illorum pondere putant* etc. circa eadem ferè tempora & paulo poſt magnam curam hac in re poſuerunt in *Italia Lucas Ghinas*, & *Gabriel Fallopius*, *Ulyſes Aldrovandus*, Et *Bartholmæus Marantha:* Et hactenus illorum opera, excepta *Maranthæ* Methodo cognoſcendorum ſimplicium, viderunt lucem; Alii ſparſim controverſias haſce agitarunt, ſeorſim tum *Fabius Columna*, qui aliquot plantarum hiſtoriam edidit; in qua deſcribuntur diverſi generis plantæ veriores, ut magis fa-

cie viribusque reſpondentes antiquorum *Theophraſti*, *Dioſcoridis*, *Plinii*, *Galeni* aliorumque delineationibus ab aliis non adeo animadverſæ. Ejusdem minus cognitarum variarumque ſtirpium hiſtoria, qua non paucæ, ab antiquioribus *Theophraſto*, *Dioſcoride*, *Plinio*, *Galeno* aliisque deſcriptæ præter illas in alia hiſtoria editas, disquiruntur, ac delineantur; *Romæ prodiit* 16 anno ſeculi currentis: Multa huc pertinentia habent & *Rembertus Dodonæus*, & in ſua Aromatum indicorum hiſtoria *Garcias ab orto*. Ex his ſanè ſcriptoribus præcipuæ petendæ ſunt illæ controverſiæ, & hi quam maximè operæ fecerunt pretium præ aliis, qui licet herbarum peritia fuerunt inſignes, in hoc tamen oceano ſæpius naufragia paſſi ſunt. Hos omnes ſuperabit Labor Inſigniſſimi viri *Roberti Moriſon Scoti Aberdonenſis Londini* qui Secunda parte ſuorum præludiorum Botanicorum nonnullas non parvi momenti animadverſiones in *Caſpari Bauhini pinacem*, ejus errores, cum in ordinem digerendo, tum nominibus plantas donando detegentes; ſicut & in tertium *Johannes Bauhini* univerſæ ſtirpium hiſtoriæ tomum, continet. Et nobis indubium, quod ſi Britanni huic operi manum ſtrenuè admoverint, plus lucis allaturos, quam hactenus per tot ſecula factum, nos *Germani* ſolummodo optamus: *Sed* verisſimam quandam, vitæque noſtræ Maxime utilem ſententiam ex ore Clariſſimi viri M. Catonis excerpſit *Saluſtius*: cum enim variis de cauſis in Maximo periculo civitatis cunctantem Senatum excitaret ad pœnam capiendam de nefariis civibus, ita increpuit illos, quis diis immortalibus confiſi humana præſidia non adhibebant. *Non votis, inquit, neque ſuppliciis muliebribus, auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo bene conſulendo, proſpera*

*proſpera omnia cedunt.* Idem etiam brevius his verbis *præcipitur. Quæ jubebant implorato auxilio Minervæ oportere etiam manum movere, negotioque, quod confici quis vellet, adplicare:* ſic & nos Germani optando nè ſeneſcamus, ſed invocato Dei immortalis auxilio, manum admoveamus! *arte & marte nemo Germanos vicit.*

§. 22. *Eſt vero* hæc ratio Veterum plantas cognoſcendi non una de cauſa ſatis difficilis: *primo*: enim ex ipſis veteribus nonnulli plantas, quas nobis laudarunt, non ſatis habuerunt cognitas. Cum itaque ipſi perperam multas ſtirpes deſcripſerint, non poſſumus non etiam nos, qui tanto poſt tempore vivimus in errores induci. Certe ipſe *Dioſcorides*, cum in præfatione tum alibi paſſim hoc ipſo nomine multos Medicos accuſat. Facit idem quoque *Galenus*, qui demum pronunciat *Dioſcoridi* ſoli in ſimplicium deſcriptione fidendum eſſe. Et ut Cajum Plinium de ſtirpibus, ut de aliis rebus pleraque ex variis ſcriptoribus, & quidem iis, qui nec ipſi plantas ſatis habuere perſpectas omnia penè ſua deſcripſiſſe, adeoque hinc plurima in præclaro alias opere illo errata occurrere poſt *Nicolaum Leonicenum Ferarienſem* â multis ſatis egregiè eſt demonſtratum. Similiter apud Arabes quoque *Avicennam* multa ſcribere aliena fide, nec ſatis itidem accuratè ſtirpes, quas Laudavit deſcripſiſſe, â Magnis viris eſt obſervatum. Ne nunc dicamus & *Johannem Serapionem* hac in parte non ſemel impegiſſe. *Secundo*, veteres ſæpe plantas non deſcribunt, ſed verbo tantum innuunt. Qui verò noveris quam illi plantam innuere voluerint ſolo nomine tantum indicato. *Tertio* ut hodie ita & olim in ſcriptoribus circa nomina plantarum Magnæ fuerunt lites,

adeo-

adeoque unum idemque nomen non apud omnes ſcriptores easdem ſtirpes denotat: *Quarto* Veteres illi in remotis regionibus cum vixerint & non ferat quælibet tellus omnia, neque nobis adeo poteſt conſtare, quæ herbæ in Aſia aut Africa floreant, patet itidem difficile eſſe noſtras plantas dicere cum veterum deſcriptionibus convenire. Adhæc in ſcriptis quoque veterum mendoſa multa ſunt, ut adeoque hanc quidem ob cauſam legitimas veterum deſcriptiones noſſe in proclivi ſit. *Bartholomæus Marantha* in Methodo cognoſcendorum ſimplicium longè plures adhuc ſalebras & difficultates adducit, quas tamen omnes non æque magni momenti quis dixerit. Cujusmodi illud eſt, quod c: 3. l. 2. adfert â *Dioſcoride* eſſe deſcriptas plantas modo dum germinant, modo dum primum pullulant, modo dum florent, interdum & poſtquam floruerunt, & tamen pro varia ætate variam eſſe plantarum figuram. Etſi enim id omni ex parte negari nequeat tum modo obſervetur, quam partem plantæ, radicem nempe, flores, folia, ſemina in Medicum uſum *Dioſcorides* laudet, haud difficulter cuivis pateat, quam nam plantæ ætatem ille exprimat, quod ſcil: alia ætas eruendis radicibus, alia colligendis foliis, floribus, ſeminibus ſit apta.

§. 23. *Indubium* multis has difficultates ſcopulos inſuperabiles videri, quos ſuperare in nullius hominis induſtria vel Maximo labore eſſe ſitum: verum enim verò non unum filum Ariadneum prætenſum eſt, ſed multiplex, cui ſi inhæreamus facillimo labore ex hoc labyrintho Eluctandi datur ratio: *Et primum* quod attinet, ſatis fuerit ſi eos veteres ſpectemus, de quorum fide certò nobis conſtat. Tales autem Græci ſunt *Theophraſtus*, *Dioſcorides*

*ſcorides*

*ſcorides*, *Galenus*, apud *Arabes* Elembitas, cujus opus de ſimplicibus etſi hactenus ex *Arabico* verſum non ſit, tamen ex iis, quæ ex opere ejus hinc inde excerpſit *Andreas Alpagus Bellunenſis*, non difficile fuerit multas ſtirpes, quæ Arabibus fuere in uſu internoſcere. O ſi hic operam ſuam conferrent Arabicæ linguæ gnari, ac ipſum *Elembitam* integrum in Latinum ſermonem translatum Erudito orbi ſiſterent: ſunt adhuc in variis Bibliothecis plura Arabica ſcripta Medica, §. 7. p. 9. quæ ſi verterentur in latinam linguam, novus quaſi Phœbus orbem noſtrum Medicum illuſtraret, lucemque in difficiliora loca Arabum funderet; *Spolium* Orientale incomparabilis Polyglotti ac Chronologi *Dn. Ravii* Multa ejusmodi Cimmelia Medica fortè continet, hicq; ſolus cum incomparabili in hoc ſtudiorum genere Polyglotto *Velſchio* Arabica in Latinum transferre poſſet, hi verò *Duumviratum aliquem conſtituunt in Orientalium Linguarum ſtudio*, *& præ cunctis dictaturam merentur*, *hic Suediæ Decus*, *iſte Germaniæ noſtræ ſplendidiſſimum Sydus*, *ac ut duo ſoles inter reliqua ſidera*, *ſic hi duo viri inter Orientalium gnaros lucent*. *Quod ſecundum* attinet, fatemur & ipſi, quarum ſtirpium deſcriptiones non ſunt plenæ & perfectæ, ſed nuda tantùm nomina apud veteres reperiuntur, eas á nullis dignoſci poſſe; *imò fatemur ultrò*, quarum deſcriptiones non ſunt plenæ & perfectæ, ne illas quidem certo à nobis poſſe intelligi, eos verò, qui ex una aut altera nota confeſtim veterum nominibus noſtras Plantas deſignant, temerariam operam ludere. *Tertio* Difficultas non adeò multum obſtabit, modò deſcriptiones Plantarum ſint additæ, certum alias eſt propter nominis identitatem de ſtirpis alicujus natura definiendum

niendum aliquid eſſe, cum facilè appareat occurrere eadem nomina in diverſis Scriptoribus diverſas tamen ſtirpes ſignificantia; *quare lites*, quas veteres circa Plantarum nomenclaturam foverunt, non adeò nobis præjudicant, vel viam ad cognitionem Plantarum comparandam obſtruunt, quàm hic ſint Diſcordes antiqui ex ſexcentis unicum illud disſidium circa *fumanam evincit*, quod *dubium* dextrè ſui ingenii acumine ſuſtulit *inſignisſimus* Juvenis DD. *Caſparus Bartholinus* Magno *Avo*, Majori Patri palmam Eruditionis diſputans, in ſuis perquam eruditis *Exercitationibus* Miſcellaneis, *Exercitatione Sexta*, & quāvis hoc Apollinis Muſarumque delitium hanc controverſiam definere potuiſſet, ſumma tamen ejus modeſtia, qua non minus apud omnes optimè audit, quàm Eruditionis gloria, ipſum impulit ut conſuleret DD. *Arnold Syen*, Virum in *Re Botanica* & juſto ab Excellentisſimo *Caſparo Bartholino ingens Floræ Columen & rarum Decus* inſignitum: hicque *Rei Botanicæ Sacerdotum Antiſtes*, *nec meam fefellit*, inquit, *Exſpectationem, cum nullus dubitem*, quin veſtra *Fumana*, ſit ipſius *(Bauhini) Helianthemum tenuifolium glabrum luteo* flore, &c Et hic noſtrum conſenſum habet. Si *plures* Eruditi viri hujus Eruditisſimi Juvenis *Caſpari Bartholini* veſtigia legerent in ſolvendis dubiis in Rerum Botanicarum ſupellectile, in auxilium vocatis tantis viris, quantus *Celeberrimus Syen* adhuc intra meritum à nobis laudatus, facilè veritas rei Botanicæ ex puteo *Democriti* rurſum extraheretur, *ſed ſoli volumus ſapere*, aliiſque invidemus diligentiam, qua & compendioſiorem viam ad eruditionem perveniendi monſtrant, nihilque rectum putamus, niſi quod ipſi fecerimus, hinc multi ut atri livoris morſum

evi-

evitent, malunt ſua ſibi retinere privatim, &c. *Quartum* non etiam eſt tanti, ut posſit ſtudium noſtrum Botanicum adeò remorari: itidem haud diffitemur temerarium, ſi non ridiculum eorum ſtudium eſſe, qui Germanis Plantis E.g. velint *Avicennæ* aliisque Arabibus, *Dioſcoridi* aliisque Græcis uſitata nomina indere; quaſi in *Germania* planè eadem reperiantur, quas Arabia profert, vel Græcia commendat; Rectè ſanè hoc nomine *Hieronymum Tragum* caſtigat *Leonhardus Fuchſius*, qui tamen neque ſibi ipſi hac in re ſatis cavit, ſi *Matthiolo* & aliis fidem non derogemus; itaque conſultum maximè fuerit, accuratè animadvertere, ubinam ſcriptores illi veteres vixerint, quàm terram incoluerint, aut ubinam locorum laudatarum Plantarum progerminationem fieri tradiderint. Cùm verò conſtet *Aſiam* plurimùm incoluiſſe, ut & *Ægyptum*, facilè apparet indè Maximè Plantas illas petendas eſſe. Qua in re ſanè multum nos juverit *Honorii Belli* Cretenſis Medici Herbarum exoticarum deſcriptio, quæ partim in *Cluſii*, partim & in altera editione *Montis Baldi Johannis Ponæ*, continetur, exſtat & *Proſperi Alpini* variarum Plantarum liber editus, quo itidem tum aliæ, tum præcipuè Græcæ & Cretenſes herbæ enarrantur. Idem porrò de Plantis *Ægyptiis* præclaros libros conſcripſit, cujusmodi quoque dedit *Joannes Weslingius* Doctisſimus Profesſor Patavinus: conſtat porrò *Leonhardum Ranolfium* & *Petrum Belloninum* perluſtrata omni *Syria*, hunc porrò ex *Græcia* inſignem in Obſervationibus ſuis Theſaurum ad accuratam Syriæ, Græciæque Plantarum hodiernarum ac veterum Deſcriptiones intelligendas notitiam contuliſſe. Itaque hi profectò libri multum poterunt juvare, ut illam Difficulta-

G 2

cultatum ſcyllam, qua de nunc agitur evitemus Si *indicas* veterum Plantas ſcire ſit deſiderium, lectio librorum quos de hac materia publicavit *Garcias ab Orto*, ſatisfaciet, eamque ſitim explebit; hunc ex Hiſpanico vertit *Carolus Cluſius*, & *Johannes Linſchotanus* parte ultima hiſtoriæ Indiæ orientalis: quibus adjungi poteſt liber primus *Bontii* de Medicina Indorum. Quod *Menda* attinet, ea ſunt duplicis generis vel inſunt exemplaribus *Authenticis*, vel ſunt *adſcitia* & irrepſerunt per deſcribentium *incuriam* vel etiam per *ignorantiam* iſtius linguæ, qua veteres ſua ſcripta ſcripſerunt, quod ſic Interpretes aliter verterint, quàm illorum mens eſt, vivum hac in re habemus exemplum in verſione nominum Hebraicorum quasdam Plantas deſignantium in ſacro litterarum Codice, uti palàm fiet ſuo loco. De iis fatendum eſt, cujuscunque etiam ſint generis menda, ea non poſſe temerè corrigi omni ex parte, adeoque propter illorum multitudinem non poſſe nos in mnltis non ambigere. Attamen notandum eſt non omnia æque eſſe mendoſa, tum verò diligenti labore viri præclarè Docti & in hac litteratura antiquorum verſatisſimi ſatis multa emendata jam ediderunt. Et verò in *Dioſcoridem* poſt cum aliorum tum imprimis *jam Saraceni* diligentiam non adeò multum ſupereſt, quod aſſequi nequeat. *Avicennæ* quoque opus ſatis exactè edidit *Andreas Alpagus*, & poſt hunc *Benedictus Rimius*, & ultimo *Coſtæus* ac *Mengius*: *Serapionem* quoq; jam habemus emendatiorem cura ejusdem *Alpagi* & *Coſtæi*. Longè plura fatemur Menda ſupereſſe operibus *Theophraſti* & *Caji Plinii*. Verum tamen & ſic ſatis comptum *Plinium* quidem poſt alios *Dalechampius* & in Exercitationibus ſuis Plinianis ad *Solinum* infinitæ vir lectio-

nis

nis *Claudius Salmaſius* dedit, de quo *Daniæ Polyhiſtor Thomas Bartholinus Anatomicorum* Coryphæus tale judicium fert *Cent.* I. Epiſtol. XCI. *Magna profectò ingenii tui, Vir maxime Majeſtas, quod antiquorum ætate inferior omnes tamen Magnitudine antecedas, & qui veteres excuſſiſti, omnes ut diſceres, jam verſa rerum vice ſi redirent priſca ſecula in tuis invenirent, quæ ignorarent. Adeò te ſolum ſacrorum ſuorum videntur optaſſe cuſtodem, qui & judex eſſes & interpres. Adde quæ ulteriùs* in eadem Epiſtola *Magnus Bartholinus* affert in laudem *Salmaſii*, hæc tam prolixè adduximus in ſummi viri laudem, ut ejus illuſtre nomen à Maledicentia vindicemus; ſic mortuo Leoni inſultant *catuli.* Inſunt tamen *huic venuſto corpori aliquot maculæ, quas eruditi Viri jamdudum annotarunt, ſuntq; tales ingenii Salmaſiani Ecclipſes, quas ſi non ſolveritatis inſtar nebularum disſiparet, facilè ad majores errores anſam præberent; & non minimus eſt error, quem in hac noſtra Academia Vir admodum Reverendus D. D. Chriſtianus Kortholt hujus noſtri Athenæi etiamnum fulgens lumen Eruditisſime, ut ſolet, refutavit, qua in refutatione non minùs modeſtiæ candore, quam Eruditionis ſplendore ſummam laudem meretur hic noſter Collega, & fautor maximus;* Alterius quoque libri à *Salmaſio* conſcripti *Acta Philoſophica Anglicana* mentionem faciunt in *Actis* Die Lunæ Aprilis 15. An. 1669. N. 46. p. 787. De quo ita loquuntur, Hic liber introductio eſt in Magnum volumen à Celeb: *Salmaſio* compoſitum, jam in duorum Nobilium Virorum quibus hanc præfationem publicandi curæ eſt) utriusque Burgundiæ Senatus Conſiliarii, *Domini Lantin* & *de la Mare* poteſtate exiſtens. Quod volumen multorum & ingentium errorum hucuſque in ſtirpium hiſtoria, quatenus ad

earum Nomenclaturam ſpectat, comiſſarum narrationem affert, illa ſi quidem accidit, ut variis nominibus uni & eidem plautæ datis, & vice verſa, num & eodem nomine, variis ſtirpibus, ingens ac periculoſa confuſio, magna hac Medicæ materiæ parte ſequuta ſit, quam in ordinem reponi, magnopere opus eſt: jam verò præfatio in hoc volumen huic viam parat, Botanicæ & Medicinæ Studioſo argumentum, ordinem & ejusdem utilitatem oſtendens, cauſas & origines multorum hujusmodi errorum, in quas cum veteres, tum Neoterici hac in parte ceciderunt, ſicut etiam veterum illorum negligentiam, *Philoſophiæ Naturalis* inter Romanorum progreſſum, & præcipuorum hujus argumenti Scriptorum, ætatem, inſerens. Authoris judicium de *Plinio*, quod videlicet approbandum, quid in eo damnandum ſit, & quousque in hujus authoris admirationem rapi debeamus, adjungens: id tamen dicere non vereor (inquit *Dominus de la Mare*) nempe hunc librum magni iſtius inſtituti perfectioni inſervire poſſe: nam dum veterum, ſicut & Novitiorum, qui illos in hiſtoria ſtirpium conſcribenda ſequuti ſunt errores, & negligentiam detegit, *nova* naturali hiſtoriæ laborandi neceſſitatem oſtendit, ut ſoluta ſit ejusmodi defectibus, ſi ſolida ſcientiæ & præcipuæ Medicinæ fundamenta jacere incipiamus; interim illi, qui hanc practicant, dum ſæpius coacti ſunt ſimplicibus uti, quorum virtutes illis, non niſi veterum experientia notæ ſunt, damnoſisſimos errores cujus libri auxilio evitare poſſunt. &c.

§. 24. Sic hic labor *Salmaſii* Viri Maximi exſtaret, omnis difficultas circa *Plinium* penitus eſſet ſublata, ut in quo multa ſint menda imo mendacia & falſa, unicum

exem-

exemplum nunc adduxiſſe operæ pretium eſt; *Franciſcus Redus ille Digniſſimus Senatus Myſtarum Naturæ in Hetruria Apollo: ne nunc quidem deſunt*, inquit, *qui veridicum eſſe ſtatuant Dioſcoridem* l. 2. & *Plinium* l. 8. *nec non vigeſimo tertio hiſtoriæ naturalis ubi herbam chelidoniam ab hirundinibus inventam eſſe, eademque oculos pullorum hirundinum laceratos & corruptos reſtitui ſcribunt; id quod ab ipſo etiam Tertulliano in fine libri ſui de pœnitentia, confirmatum eſt*, dum ſcribit, *Hirundo, ſi excæcaverit pullos, novit illos rurſus oculare de ſua chelidonia. Nec tamen ſanitas Hirundinum*, aliorumq; *Volatilium, Chelidoniæ*, ut quæ nunquam *in nidis hirundinum* invenitur; ſed *ſoli naturæ, ſemota omni Medicamentorum* ope debetur: id quod cuivis manifeſtum *eſſe poterit*, cui *placuerit, oculos hirundinum, aut alterius cujuscunque aviculæ* acu vel ſcalpro ſolerter terebrare. Ego ejus rei periculum feci, in gallinis, anſeribusque, anatibus, gallis gallinaceis, & indicis, & animadvertero, *omnia hæc volatilia* ſua ſponte, minore quàm viginti quatuor horarum ſpatio ſanari. Veracem deprehendi *Cornelium Celſum* l. 6. dicentem; *Extrinſecus verô interdum, ſi ictus oculum lædit, ut ſanguis in eo ſuffundatur, nihil commodius eſt, quam ſanguine columbæ, vel palumbo, vel hirundinis inungere: neque & ſine cauſa fit, cum harum acies extrinſecus læſa interpoſito tempore, in antiquum ſtatum redeat celerrimeq; hirundinis. Inde etiam locus fabulæ factus eſt, aut per parentes, aut id herba chelidonia reſtitui, quod per ſe ſaneſcit*. Hactenus ille.

§. 25. Sed redimus in viam *Theophraſtum vero editio Batavica emaculatum præbuit*; ut itaque ſaltem pleraque veterum mediocriter poſſint à nobis percipi. Quin verò hac ratione difficultatibus illis omnibus evitatis poſſu-

mus

mus in perquam multis hic pervenire ad Veritatem, nullus equidem nobiſcum dubitaverit. –Si tantum diligenter notentur omnia, quæ de ſingulis Plantis protulit *Dioſcorides* ut illum Virum nunç in exemplum adducamus, Nec verò ſufficit notaſſa tantum ea, quæ de figura Plantæ alicujus *Dioſcoridi* ſunt annotata, ſed & quæ de viribus ac facultatibus, ſaporibus item ac odoribus, nam & hæc maximè ad Plantæ alicujus eſſentiam pertinent. Hæc omnia rectè annotata ſi cum Plantis, quæ in manibus ſunt, conferantur, non poteſt facilè latere, ſintne eædem nec ne, præſertim ſi deſcriptiones veterum fuerint juſtè accuratæ, aliàs enim & ut fatemur veroſimile quidem aliquid dici poſſe in hoc negotio certum & infallibile minimè poſſe. Poteſt hoc ipſum negotium aliquo modo promoveri inſpectis antiquis Codicibus manuſcriptis, qui figuras Plantarum habent adpictas, quales in Bibliothecis nonnullis Cæſarea, Regia Gallicana, aliisque exſtant magni nominis. Quanquam enim omni ex parte figuris illis credere non ſit adeò tutum, quod ſæpius delineatæ ſint ab imperita manu, eſt tamen ut interdum egregiè nos inſtruere valeant, ceu videre eſt apud *Matthiolum* & alios. vide § 15. p. 27. 28. 29. 30. 31.

§. 26. Concludimus *nunc primam* hujus noſtri Penſi vel operis partem de *Grammatica cognitione*: volumus, *verò ne vocabula & nomina*, quibus Plantæ inſigniuntur adeò *criticè ventilentur* ampliùs, tantoque niſu circa eam nomenclaturam trahant *contentionis ſerram*: de Plantarum enim nominibus & id *Hobbeſii* omninò verum eſt: *Nomen eſt vox*, inquit, *humana arbitratu hominis adhibita, ut ſit nota qua cogitationi præterita cogitatio ſimilis in animo excitari*

*citari poſſit; quæque in oratione diſpoſita, & ad alios prolata ſignum iis ſit qualis cogitatio in ipſo proferente præceſſit, vel non præceſſit.* Et tantò magis circa illorum impoſitionem non poſſumus eſſe adeo rigidi, cum maximum *Criterion*, quod requiritur ad nomimum impoſitionem, *videlicet ea ita formentur, ut ſtatim ex auditis vocibus rei eſſentiam agnoſcere liceat*, nobis deſit, neque ulli poſt *Adamum* vel *Salomonem* vel & *Chriſtum* datum ſit, res juxta earum eſſentiam debitis nominibus inſignire: nam juxta *Platonem* nominum impoſitio magis quid divini quam humani ſapit: Hinc etiam ille in *Cratylo* his concludit verbis. *Nimirum, qui primus nomina impoſuit, qualem exiſtimabat eſſe rerum naturam, talia & imponebat nomina.* Tum etiam cum nominibus ita comparatum eſt ut ſcribit *Petrus Victorius* l. 1. c. XXII. p. 23. nec enim *omnia vocabula*, inquit, *omni ætate idem valent, quamvis enim maneant ipſa, notio tamen eorum immutatur.* A cujus viri Doctiſſ. mente non longè abit *Hobbes* ſcribens: *cui enim, qui verba quotidie* nova naſci, vetera aboleri, diverſa diverſis gentibus in uſu eſſe &c. Tum Plantaruw nomina ipſis plantis ſunt impoſita vel à nomine morbi, cui putantur mederi, ut *Iva Arthetica, Herniaria, Apoſtema aut Scabioſa, Colubrinum* lignum, lignum ſerpentarium. Hujus nominis plures veniunt Plantæ, eo quod mirificé ad colubrorum morſus virulentos Jctus faciant &c. vel à *regione* in qua creſcunt, *Iris illyrica*, Florentina, Noſtras; *China*, à China Orientalis Indiæ provincia amplisſima nomen ſortita, Scythiæ finitima, in Patrio ſolo *Lampatam, Lampatan, Lampaton* vocant. Vel à *Loco, Herba* muralis; Raphanus marinus; Aſparagus hortenſis; vel ab *externa facie: Cochlearia* inde nomen eſt adeptum,

quia folia ejus cochlearis formæ reſpondent. *Biſtorta*, inde appellatur, quod radice conſtet in ſe contorta & convoluta, vel ab aliquo *inſigni Viro*: ſic *fabaria*, Germanicè fette Henne/ *Telephinum*, quod vocabulum ſuam originem trahit *à Telepho* Herculis filio à Cerva in Sylvis nutrito, qui imperavit in *Lycia* & exul poſtea ex Rege Medicus præſtantiſſimus factus eſt, & dicta hac herba Ulcus ſuum curaſſe dicitur, quod ab Achille acceperat. Vel à viſcere aliquo nobiliori *Pulmonaria*, *Epatica* &c. ita nomina Plantis ſunt impoſita & maximam partem unde nomina ſua habeant prorſus ignoramus, qui ergo nimis curioſo nominum *Scrutinio* & quidem *Critico* imcumbunt hi oleum & operam perdunt & tantum abeſt ut in Plantarum cognitionem veniant, ut potiùs longius à portu abducantur; præſtat idcircò veteres prorſus negligere, quàm ſuam *Cymbam tam immerſo Oceano Critico committere*: cum autem antiquis multa utiliſſima inſint, debent eos Medici diurna nocturnaq; manu evolvere, ſed ita, ut nunc ab Autoribus emaculati ſunt, fontes tamen ipſos ſæpiùs cum recentiorũ lucubrationibus conferendo: cæteroquin de nominum impoſitione, urgemus conſilium, quod ſuperius dedimus de *Lexico* aliquo univerſali conſcribendo. §. 18. p. 33. Aliis, quibus non arridet ſtudium Botanicum eriticum, ſolùm ſufficeret *Johannis Bauhini* Hiſtoria univerſalis, quam & prælaudatus Botanicorum noſtræ ætatis facile princeps D. D. *Arnoldus Syen* magnifacit, quamque in ſuis dubiis conſulit, cui ſi jungeretur *omnium Criticorum*, *quos Sol hoc Seculo calefecit*, *principis Salmaſii* Volumen, cujus anteà ex Actis Anglicanis mentionem fecimus. Nihil nunc ulteriùs de Grammatica cognitione addimus; præter ea, quæ ſequun-

quuntur §. 27. Sequenti de quibusdam *Plantis Biblicis*.

§. 27. *Sic nunc penitùs* removimus omnes difficultates circa cognitionem Plantarum Grammaticam, *ſupereſt nunc altera pars* hujus *Diſſertationis*, videlicet Plantarum *cognitio* Philoſophica, quam deſiderat *Philoſophia Naturalis*. Sed antequam hanc ſecundam partem contemplemur, de difficultatibus quibusdam circa Nomenclaturam Plantarum Biblicarum in medium pauca adferemus. In primis de fructu vetito disquiritur, cujusnam generis fuerit: Erudita huc quædam habet Nobiliſſ. *Johannes Jacobi Wiſſenbach JCtus* Celeberrimus, in *Manuali* de Verbor. Signific. ad Titul. Pandect. XVI. LL. Pand. ff. Diſputat. XLI. Theſ. I. p. 430. *Hominibus* protoplaſtis Adamo & Evæ præceptum fuit, ne veſcerentur fructu arboris in medio Paradiſi poſitæ. Hanc arborem vulgo opinantur fuiſſe malum, undè natus verſiculus.

*Malum male malo mala contulit omnia mundo.*

Imò Ficum fuiſſe hanc arborem multi autumant: *Hugo* de *Sancto Victore*: *Conſuerunt folia* ficus, & fecerunt ſibi perizomata; per hoc quidam exiſtimant ficum fuiſſe lignum ſcientiæ boni & mali. *Theodoretus*: *Arborem fici* puto fuiſſe, ex qua præceptum fuerit Adam, ne comederet, cujusque & foliis conſutis tegumenta ſibi pudendorum confecerint. *Nicolaus Lyranus* ad verba c. 3. Gen. v. 7. *Conſuerunt folia ficus*. Hebræorum opinionem de ficu adſtruit his verbis: *Ex hoc* dicunt Ebræi, quod ficus erat arbor de cujus fructu comederunt. Vulgari opinioni cauſam præbuit *pomi vocabulum*, quo veteres plerique ſunt uſi, ut conjectat Doctiſſimus *Druſius*. Hactenus noſter *inſigniſſimus Wiſſenbach*. Quidam *Ceraſum* fuiſſe exiſtimant. Alii

 putant

putant id *pomi genus* fuiſſe malum perſicum, quod in Oriente (ubi peccavit Adamus) hodie eſt letale & venenoſum: licet nobis in Occidente ſit ſuavis cibus. Alii malum *Cittoneum* ſive *Cydonium* fuiſſe malunt. Alii Pirum &c. *Danæus* de prima Mundi *Ætate* p. 97, 98. *Confer* ex Noſtratibus *Celeberr, Friedl.* in ſua Theol. Exeget. claſſ. 7. q. 74. p. 33. m. & *Urſin.* CXLV. p. 594. Tum de *hyſſopo*, cujus mentio fit in Hiſtoria Paſſionis Domini noſtri JESU CHRISTI *dulcisſimi noſtri Salvatoris*, diſquirunt Eruditi; alii pro frutice habent ut Celeberr: *Beverovicius*, & *Salmaſius*. *Beverovicius* ſcribit: Frutex enim debuit eſſe, cujus cuſpidi circumponeretur ſpongia, quæ erigi poſſet in altum; Et ſic volunt differre à hyſſopo noſtri ſoli, quod & ſtatuunt, qui in *Meſuen* commentati ſunt, *Dodonæus*, *Pœna*, *Lobelius*, *Dalechampius*, *Bauhinus*. Sed non opus eſt diverſas ſpecies ſtatuere cum quotidiè videamus, plantas pro loci proprietate (quod etiam notat Dioſcorides) & anni temperatura citiùs tardiùsque adoleſcere, atque celſius aſſurgere, ſic ſcribit *Plinius* l, 29. 4. authores tradere, in Arabia Malvas ſeptimo menſe arboreſcere, baculorum uſum præbere extemplo: plura de hac controverſia vide in *centuria* prima Epiſtolarum *inſignisſimi Thomæ Bartholini*: Hocque dubium de *hyſſopo* in hiſtoria pasſionis Domini omnium optimè mihi aliquando in Erûditisſima Epiſtola ſoluit hujus noſtri ſeculi Theologorum facilè princeps DD. *Auguſtus Varenius*, *Profeſſor Roſtochienſis* famigeratisſimus, VIR Verè *Auguſtus*, in cujus Permagni Viri ſententia acquieſcimus. Epiſtola illa Eruditisſima honoratisſimum ſuum locum inveniet inter hujus ſeculi lumina in noſtro *Faſciculo Miſcellanearum Quæſtionum Epiſtolicarum* De *Dubiis Biblicis*.

Quædam

Quædam etiam De *hyſſopo* dicemus in *noſtra Philoſophia* Sacra ibi vicisſim hujus Celeberrimi Viri primas deferimus. De *hyſſopo* hiſtoriam concludimus verbis Celeb: *Wiſſenbach* in notis Nomico-Philologicis p: 16. *Veriſimile, eſt*, inquit, milites hyſſopum calamo circumligaſſe, & hyſſopo ſpongiam quoque circumpoſuiſſe, ut ſimul hysſopum & ſpongiam aceto imbutam (potionem ori crucifixi ingratam) Chriſto porrigerent, atque ei ita illuderent. Et de *Corona* Chriſto è ſpinis contexta ſic ille *Themidos* Apollo Batavus *Wiſſenbach: Non uſque* improbabile eſt, inquit, quod plerique exiſtimant, ex *Rhamno* hanc coronam fuiſſe contextam, quia milites eam potius ſpinam eligere voluerint quæ magis pungeret ut eſt *Rhamnus Plini*: l. 24. c. 14. *Et veritati cenſonum eſt, è Rhamno fuiſſe coronam ſpineam Chriſti:* Narrat enim *Ballonio* l.2. obſ.c.88. ſe circa Hieroſolymitana mœnia examinatis ſpinarum generibus, tamen ex *Rhamno* contextam fuiſſe ſpineam illam coronam arbitratum (1) *quod* nullum ibi ſpinoſum fruticem frequentiorem reperiſſet: (2) *quod Itali Rhamnum ſpinā ſanctam* appellent, præſertim circa Maceratam & Piſaurum, ubi ſepes eo conſtant, quemadmodum *Hieroſolymis* (3) *Quod* Veteres Arabes ſpinoſum fruticem *Alhanſegi* vocent, i.e. coronam ſpineam (4) *Et Quia huic* generi regnum defertur habuiſſe regiæ dignitatis, præ cæteris ſpinoſis futricibus, inſignia: hinc etiam *Rhamnum* fruticum ſpinoſorum regem ad coronandum Chriſtum ſumſerunt. (5) *ſi perpendamus Hieronymi* deſcriptionem in Aggæum, quæ ita habet: *Rhamnus ſpinoſus eſt frutex*, & Arbuſcula ſentibus uncinisq; contexta, quæ teneat quicquid attigerit, & *retentum vulneret*, & Vulneratorum ſanguine delect etur.) Non poſſu-

 mus

mus aliter ſtatuere, quam Quod ex *Rhamno* Corona Chriſti fuerit contexta, quæ tam late adduximus ad Nobiliſſ. DD. *Wiſſenbachii* ſententiam confirmandam. *Præterea & hujus* aſſerti teſtimonium *petere licet* ex Pſal. LVIII. *Priusquam ſpinæ in Rhamnum adoleſcant:* hinc patet *Rhamnum* ſpinis eſſe *acerbiorem*, acerbisſimum verò crucifigentes elegiſſe multa ſunt, quæ probant in Hiſtoria pasſionis *Dulcisſimi* Salvatoris. *Dubium* De *Dudaim* Gen: xxx. & cantic. vii. *Celeberrimus* DD. *Daniel Ludovici* penitus ſuſtulit per cujusdam Anonymi *ſchediama* hac de re conſcriptum & à prælaudato viro Noſtræ. Illuſtri ſocietati communicatum exſtatq; Tom. 4. & 5. obſerva: CXCIX p: 269. 270. 271. 272. de qua materia etiam quædam (Deo volente) in noſtro *Faſciculo*, & *Philoſophia ſacra* E. g. בטנים *Betnim* ſemel legitur Gen: 43. 10. ibi mire variant interpretes (inquit Celeberrimus Theologus *Johannes Heinricus Urſinus* in Arboreto Biblico cap: 3. §. 8. p. 75.) vulgatus habet *aliquid Terebinthi*: *Arias Montanus avellauas*: *Pagninus juglandes*: *Vatablus nuces pineas*: *Lutherus* Dattelen nuces Terebintinas: *Tremellius* nam Boten Terebinthum dici Hebræis & Arabibus, eſt autem ea non *reſinifera*; Verum illa *nucifera*, iſti non abſimilis, (quam §. 5. deſcripſit,) quæ fert piſtacia; plus hic non adferimus (*conſule noſtram philoſophiam ſacram, quam nunc è cathedra hujus celeberrimæ Academiæ prælegimus publicè*, (*hanc aliquando* pace *Mundo Reſtituta* in *lucem proferemus*) de *plantis Biblicis*. Utinam aliquando Tantus VIR, qualis fuit *Salmaſius* antiquitatum ſtudio, Manum huic operi applicaret, & nobis triplici ſcrutinio, *Philologico*, *Philoſophico*, *Medico*, plantas Biblicicas enuclearet. Satis feliciter huic provinciæ præfuit *Celeberrimus Bochartus*

*chartus* in ſua hiſtoria *Animalium* & Geographia ſacra, an *Phythologiam ſacram* quoque conſcripſerit ignoramus: *præterea* & hanc ſpartam ornarunt *Levinus Lemnius*, prælaudatus *Urſinus*; ſed juxta triplicis *ſcrutinii* Methodum adhuc nemo. Si aliquis *philologiæ*, *philoſophiæ*, & Medicinæ gnarus hiſce veſtigiis inſiſteret, incomparabile opus ederet, *celeberrimus Velſchius* noſtrum *& omnium deſiderium poſſet implere, ut Quem Noſtra Europa polyglottorum principem & Medicorum Corypheum veneratur*, poſſetque ipſi Adjungi, quoad philologiam, *Celeberrimus Ravius* antea â nobis laudatus; *Et hæc Noſtra Incluta Academia Chriſtiano-Albertina inſignisſimis polyglottis Decorata eſt, quos nemini poſtpoſitos volumus; Et quanti in hoc ſtudiorum Genere viri ſint, probant eximia ſpecimina, quæ publicè exſtant*, &c.

§. 28. Huic difficultati Maximum remedium eſſet inventum, ſi adhuc exſtaret ipſius ſapientisſimi Regum Salomonis Herbarium, tale autem opus Botanicum conſcripſiſſe non incongrue ex ſcriptura nonnulli concludunt: illud verò multi ſe posſidere jactitant. Paucis ante annis Francofurti ad Mænum fuit talis Agyrta & Sycophanta, qui publicè gloriatus, ſibi Herbarium Salomoneum eſſe. Neque adeo diu eſt cum Hamburgi quidam circumforaneus idem jactaret: verum enimvero admodum vana eſt gloriatio horum ſycophantarum; in rerum natura nullum ſcriptum Salomonis præter ea, quæ ſacer ſcripturæ codex habet, exſtat: Et præterea quibus argumentis probabunt illud eſſe genuinum ſcriptum *Botanicum Salomonis* & quoniam tot ejus poſſeſſores ſe jactant, quodnam eſt *Authenticum*? quanam etiam lingua conſcriptum eſt? alii *Ægyptiaca*, alii *Ebraica* exaratum dicunt, præprimis *Cin-*

*gari*, qui ſe *Ægyptios mentiuntur* ac juxta *Albertum Crantzium* l: II. c. 2. anno Chriſti 1437. juxta *Aventinum* vero 7. Annal: Bojor: Anno 1439 primum in Germaniam venerunt, ſe *Herbarii* Salomonei poſſeſſores eſſe clamitant, hinc & hominibus quasdam radices vendunt, iisque & mirandos effectus tribuunt. *Sed ſentina* eſt hominum (inquit Clariſſ: JCt: *Georg: Schonborn*: l. 3. politic: C: XVI. p. 199.) variis ex nationibus collectorum: qui furtis, rapinis, mendicationibus, chiromantica divinationione vitam ſuam tolerant etc. Verum nihil minus habent, quam *Herbarium Salomoneum. Quare quicquid dicitur vel aſſeritur de aliquo Herbario Salomoneo, idomne mendacium & falſiſſimum eſt, & minime his impoſtoribus credendum, ut quorum profesſio homines decipere, emungere, imo ex hominum vitæ inſidiasſtruendo lucrum captant vitamque ſuſtentant.* Volumen Medicum, à Salomone conſcriptum, conbusſit *Rex Ezechias* aſſerente *Euſebio*, quod populus ex eo morborum medelas] ſumeret & ſanitatem à DEO poſtulare negligeret. *Drex.* in *Tobia.* fol. 171. &c.

§. 29. Cæterum De *Grammatica ſtirpium cognitione ſatis*, plurimum verò differt ab hac ipſa cognitio, quam deſiderat *Philoſophia Naturalis*, quam & meritò phloſophicam indigitamus. Neque enim ſatis eſt philoſopho plantarum Nomenclaturam ſcire, ſedulterius ipſi pergendum eſt, & intimius ſtirpium natura ſcrutanda & pernoſcenda: Et quemadmodum aliarum naturalium rerum, ita & ſtirpium eſſentiæ peritia in hoc conſiſtit, ut ſciamus quare & propter quas cauſas hæc & illa planta ita ſeſe habeat. Notum verò eſt ſtirpium differentias & naturam conſiſtere (1) *in partibus* (2) *in particularum motu, ſitu, figura, &*

*ra*, *& magnitudine*, (3) *in Generationibus* (4) *in analiſi*, *ſive* ea ſit Naturalis, ſive Artificialis; quo pertinent Germinatio omnis, & florum productio, & quicquid in reliqua plantarum vita occurrit. Cum itaque philoſopho propoſitum ſit cognoſcere naturam integram plantarum, liquet & pernoſcenda etiam eſſe ipſi omnia, quæ modo enumeravimus; *Fieri autem nec ipſum* ritè poteſt, ſi tantum in ſpecie, quibus partibus conſtent ſtirpes ſingulæ, aut quæ ratio germinationis, protruſionis florum, & in univerſum generationis tum ſi quæ alia ad ſtirpium vitam pertineant, ſingulis competant: Verum collatis ſimilitudinibus & perſpectis motus, ſitus, figuræ, magnitudinis particularum differentiis, ex ſingularibus univerſalis quædam cognitio conſtruenda eſt, & in ſpecies atque genera ſingula ſunt diſtribuenda. Eſt autem uni verſalis, (omnes intelligere plantas philoſophicè), ut difficilior particulari, ita philoſophiæ maximè propria. Nec acquieſcit philoſophus in eo, quòd ſciat quomodo hæc omnia ſeſe habeant, ſed ulterius perſcrutandas horum omnium ſibi cauſas ſumit, indagat. Imo verò poſterior illa cognitio propriè eſt *philoſophica*, prior tantum *hiſtorica* in *philoſophiæ* uſum comparata. Quod verò hiſtoriam illam attinet, comparatur illa ſano ſenſu & experientia, nec non deductione quadam ex ſingularibus ad univerſale; cæterum non poteſt comparari niſi rectè obſerventur ea, qnæ Experientia dictitat, & ſenſus docent; neque enim aliter procedere hic licet. Unde patet philoſopho accuratè omnes plantas ſenſu & multiplici experientia eſſe pernoſcendas, quo liceat ex ſingularibus ſimilitudinibus & differentiis ad univerſalia pervenire. Debet ergo

utique philoſophus inſtructus quoque eſſe ex parte cognitione *Grammatica*, ut ſi de planta aliqua ſit diſſerendum, ne in nomenclatura hallucinetur & hæreat; quanquam enim non requiramus in eo variam illam & exquiſitam omnium vocabulorum juxta veterum Litteraturam notitiam, Criticam, ut quam rectè rejecimus; §. 26. p. 50. tamen neceſſe eſt, ut habeat, ex quo ipſe diſſerere, & alios docere queat.

§. 30. *Ad hanc plantarum* cognitionem philoſophicam comparandam (1) *Recommendamus diligens Scrutinium circa plantarum ſemina, ea ipſa anatomiæ ſubjicienda*, ut apertum fiat, quomodo illorum particulæ ſint diſpoſitæ an continuæ vel contiguæ, an denſæ vel raræ, an cito illæ particulæ ſint diſſolubiles vel difficile; exinde patere poteſt plantæ temperies, juxta *ſitum, motum, figuram*, & *Magnitudinem particularum* judicamus de plantarum dotibus (*qualitates ignoramus in phyſicis; illæ demum ſortiuntur locum in Morali philoſophia & illud vocabulum qualitas ne quidem nominandum vel uſurpandum eſt, quippe res evidentes majoribus difficultatibus involvit* Et hactenus philoſophi talibus terminis merè logicis uſi ſunt in tradenda philoſophia naturali; non ſine maximo diſcentium detrimento, & ipſi docentes nondum genuinam iſtorum terminorum ſignificationem aſſecuti ſunt, quod probant iſtæ litium adhuc ſub judice *ferventium Chiliades*) Ut enim nunc ſemen diſpoſitum eſt: ſic quoque diſponitur particularum *congeries* in plantis, ut quæ ſemper iſtam motus, ſitus, figuræ & Magnitudinis particularum complexionem harmonicam affectant, quæ ipſis in ſeminum particulis fuit radicalis: notandum tamen eſt, in ſeminibus illam virtutem eſſe

concen-

concentratam inque centrum redactam quæ in plantarum corpore fuit diſperſa & magis expanſa, ſed cum ſemen ſit *primum progerminationis principium*, *&* *ultimum plantæ complementum*, non videmus quid melius nos in plantarum vel ſtirpium cognitionem philoſophicam deducere poſſet, quam ipſa accurata ſeminum Anatome: præcipue ſi iſta ſeminum Anatomia ſit chemica, ibi omnia ea beneficio Vulcani ex ſeminibus educi queunt, quæ ex plantis, e. g. Spiritus, ſales fixi, & volatiles, olea, & ſalia volatilia ex plantis, hæc ſpigirica analiſi parata nihil aliud ſunt quam congeries primorum mimorum, & quorum copula planta per evolutionem primordialıum ſeminum coaluit, & hæc prima minima ope Vulcani ex plantis eliciuntur, ut per cujus totum corpus ſunt diſperſa, quæ tandem in ſeminis circumferentiam minorem concentrantur & ſales ex plantis elicitos habere analogiam cum ipſis ſeminıbus, vel eſſe ipſa *primordialia* rerum ſemina forma reſuſcitatrix evincit; *Paracelſus* in ſecreto naturalium ex cineribus reſuſcitat plantas; dum eas artificioſè liquoris inde extracti aquei & oleoſi imbibitione nutrit, & tanquam primam materiam ſeminio ſuæ plantæ primo perfuſam digerit, & in terra commoda ad naſcendum promit, ut loquitur *Lybav*: Synt: Artic: 1. c: 22. p: 47. Si *herbam* minutim conciſam, aut etiam in cinerem redactam terræ inſeveris, herba creſcit ejusdem ſpeciei, cum ea quam concidiſti, aut combusſiſti, inquit *Kircherus* de arte: Mag: I: 3. gart: 5. c. 3. experim. p. 496. Raphani conciſi & terræ commisſi, raphanos producunt, *Rattry* aditu ad Sympath: & Antiph: *Merſennus* ex cinere inter duo crucibula lutata calcinato ſal elicit, idque depura-

tum ſerit in terram bene præparatam. Salem plantæ, ſi terræ puriſſimæ inſeveris, ſtatim ille in eam plantàm ex qua extractus fuerat repullulabit. *Quercetanus* in defenſione ſuæ chymiatric. c. 23. narrat: Polonum quendam Medicum Cracovienſem, in diverſis vitris variarum plantarum habuiſſe ens primum, ex quo parvo calore, ſine ullo negotio effigiem plantæ produxerit, ſed ſine viribus coagulandi. Nam collapſa ſtatim eſt calore ſubducto. *Libavi.* l. c. *Roſam* ex cineribus reſuſcitatam admodum pulchrè deſcribit Celeberrimus *Chryſoſtomus Magnenus* in ſuo Democrito Reviviſcente. Adde Celeber. *Kergeri* Curioſum Tractatum de fermentatione Cap. 6. *De Vitæ Gradibus.*

§. 31. Ex hactenus allatis luce Meridiana clarius eluceſcit *primam* viam ſternere ad cognitionem philoſophicam plantarum *Anatomiam ſeminis, oleaque & ſales eſſe ipſa primordialia entia Magnetica, quæ poſſunt attrahere ex terra, quicquid ipſis homogeneum eſt, ut idcirco planta nihil aliud videatur eſſe, quam talium primorum minimorum, vel primogeniorum ſeminum, quæ in terra in forma atomorum latent, quædam congeries extenſa in longum, latum & profundum, quando videlicet illud occultum ſeminium in terra latens inque prima minima diſperſum colligitur, collectum evolvitur ad iſtam motus, ſitus, figuræ, & Magnitudinis particularum harmonicam comprehenſionem induendam.* Sic ſeminum plantarum Anatomica cognitio eſt primus gradus ad cognitionem plantarum philoſophicam comparandam.

§ 32. *Nihil moramur quid hic Carteſianorum* ſchola (quam cæteroquin præ aliis eligimus ut minus autoritatum nominumq; ſuffragiis, ſed libertatis philoſophicæ prærogati-

rogati-

rogativà experimentorumque fide aſſertam;) deſuccorum alibilium preſſione cauſato influxu ſentiat, ut quæ ſententia hic multis difficultatibus involvitur;quibus cum hactenus ſe non feliter ſatis extricarunt, hinc noſtrum conſenſum nondum impetrant, *ſi enim preſſio ſit tali generali modo, tunc omnes ſpecies plantarum uniformem magnitudinem haberent; videmus verò in una parva area diverſas plantas naſci, ubi quælibet ſuas peculiares habet dotes, peculiarem figuram, neceſſe ergo eſt iſta nutritio non abſolvatur preſſione cauſata influxu ſucci alimentoſi: aliquid adſit, quod ſuccum alibilem reſtringat ad cujuslibet plantæ indolem, motum, ſitum figuramque particularum, abſolutæ eſt neceſſitatis*; quod nunc e. g. ſuccum alimentoſum *reſtringit* & modificat ad cujuslibet plantæ *particularum* debitam *comprehenſionem*, illud nuncupatur *magneſia*, & eſt quaſi *lex Adraſtea* cuilibet *ſubſtantiæ naturali in primordio creationis à Summo Plasmatore lata, cujus vim nulla ſubſtantia creata neque in exceſſu neque defectu excedit, niſi peculiari Dei voluntate aliud iubente*: E. g. *Quercus* eam, *quam habuit in primordio creationis, particularum harmonicam comprehenſionem, adhuc dum ſervat usque ad extremum mundi diem pantacriticum vigore legis Adraſteas in primordio creationis à D. T. O. M. dictæ*; hunc nodum mihi ſolvant *Carteſiani*, ſi nos ſuis placitis ſubſcribentes deſiderent; tantum hic monuiſſe ſufficiat, *triarios* ad alium conflictum reſervamus, *unum dicimus: cujuslibet ſucſtantiæ naturalis ſemen conſiderari debet ut fermentum aliquod, cujus etiam minimum atomon omnes paticulas homogeneas fermentat, ut ſui fermenti inpreſſione duplicis* (1) *Aſſimilativi particulas congeneres* ad *ſe alliciat attrahatque*(2) *Sequeſtrativi, quo heterogeneæ particulæ partim repelluntur ne in*

*unam copulam vel connubium cum particulis homogeniis coaleſcant, partim recrementorum exterminatione: nulla enim ſit nutritio, etiam in ſpirituoſiſſimis rebus naturalibus ſine facibus vel recrementis, utrumque abſolvit fermentum ſequeſtrativum: Aſſimilativum attrahit, Sequeſtrativum excernit, repellitque. Utrumque conſiſtit in diverſa particularum modificatione nihilque præterea ſubſtantiale.* Utque ſæpius alias diximus, aerem continere inſe omnium rerum prima minima: ita etiam aer apponit illa, quæ vegetabilia abſolvunt, non modo presſionis, ſed blando attractu magnetico; quare neque in terra, quæ non aliter conſiderari debet, quam matrix fovens, datur presſio; neque in aqua, ex qua maximam partem nutrimentum ſuppeditatur, ulla presſio fingenda; multo minus in atmoſphæra, huic nihil non pervium; presſio duntaxat invenit locum in iis corporibus, quæ non habent poros, cuncta verò corpora habent poros; apage ergo illud figmentum presſionis *Carteſianorum*, pro quo blandum attractnm magneticum veritatis prærogativa ſubſtituimus &c. Et quomodo videlicet nunc *Geneſis* plantarum abſolvatur (præſuppoſitis iis, que ante diximus) patet cujuslibet enim plantæ ſemen terræ commiſſum ob perennem principii nitro-ſalini attractum, qui attractus tanto vegetior eſt, quanto particulæ nitro-ſalinæ in iſto ſunt vividiores, in duplicem humorem diſtribuitur, ſcilicet *unum Spirituoſum*, hoc Nitro-ſalino principio imprægnatum, & particulis valde activis præditum, ex eo fiunt in plantis *partes* nervis analogæ, & hæ quaſi iſtud principium nitroſalinum in ſe figunt, hinc durities eſt illa Corticalis vel & lignea, quod principium altius ſublimatum tandem in minores ſphærulas concentratur, hinc rurſum *ſemen* &c.

*Alterum* Aqueum, quod ut particulis anguillaribus conſtat, in ſe contorquetur in varios mæandros, exinde partes molliores, *folia* &c. hinc etiam illæ plantæ, quo *plus principii Nitro ſalini* in ſe continent, longioris ſunt vitæ, & igni fomentum præbent; aliæ hujus principii nitro-ſalini paupertate laborantes annuæ ſunt, hujusque generis ſunt arborum comæ omni autumno deciduæ exceptis paucis, quæ non comas deponunt. Amore veritatis hæc tam latè explicavimus: Nihil erubeſcit veritas, niſi ſolummodo abſcondi. Et quemadmodum plantis quibusdam veluti *Lilio*, Myrrhæ *Oxali*, Croco, Plantagini, (qua de re vide M. Myl: *in hort: philoſ:*) ea eſt natura, ut calcatæ magis magisque vireſcant: Aut ſicut inuniverſum aromata latè odorem emittunt, ſi teras: ita veritatis fama diffunditur, ſi premas. Sicque etiam hujus dogmatis de Magneſia Veritas contra presſionis patronos Carteſianos ſeſe aſſerit, & alias ſe pluribus *aſſeret*.

§. 33. *Secundo in cognitionem plantarum* philoſophicam nos adducunt *Virtutes*, quibus præditæ ſunt E. gr. *Opium* inducit ſomnium: hanc verò ſomni veram facultatem, & vim anodynam quidam ejus *calori*, quidam ejus frigori tribuunt, ut videri poteſt inter alios apud *Celeberrimum*. D. D. *Tilingium* Profeſſorem Rintelienſem famigeratisſimum, Academiæ S. R. I. Naturæ Curioſorum Senatus Aſſeſſorem gravisſimum Zephyrum dictum. Et *Novisſimè* in *Curioſa Opiologia* Celebr. D. D. *Georgii Wolfgangi Wedelii* Profeſſoris jenenſis famigeratisſimi viri conſummatæ Eruditionis cap: v: &: vi. & tandem cap: x. concludit in hæc verba: *ſtatuimus, papaver*; inquit hic Saxoniæ

Medico-

Medicorum Coryphæus, *ut alia miſta, habere in ſe partes heterogeneas, calidas, ſiccas, frgidas, & humidas. Calidæ particulæ tametſi â frigidis & humidis in viventi planta recentique opprimantur, luculentius tamen, pereuntibus iſtis ſe produnt, & prædominiis potiuntur, quod fit, ubi reſolvuntur & ſeparantur artis igne. Ex arte multum accedit aduſtionis, maximè in ſucco, unde opium noſtrum ignis ope coctum, depuratum, inſpiſſatum, notas caliditatis ſibi impreſſas intenſiores acquiſivit*: poteſt & hic conſuli *Clarsſimus*. D.D. *Grube* De Medicamentis ſimplicibus cognoſcendis: verum enim verò nos hanc facultatem ſopori feram nec calori, nec frigori, nec humiditati, nec ſiccitati, (ut loquamur hic cum *Petro Severino in Idea Medicinæ philoſophicæ c: 7. p; 71.)* nec tenuitati, nec crasſitiei, nec ſulphuri narcotico acceptam referimus & licet ejus operandi Modus rectè in hoc ſtatuatur, quo porulos cerebri â vigiliis nimiis apertos & dilatatos obſtruit, ſpirituum animalium effrenem influxum impedit, eosdem quaſi coagulat, & addenſat, adeoque ſuavisſimam corpori conciliat quietem: confer: Hippocrat: l: de flat: c. 20. t. 8. ut loquitur *inſignisſimus Wedelius* ac libro, cap. XI. p. 40. m. nihilominus illud aliter explicandum eſt: (1) enim hoc in confeſſo ponimus *ſomnum* partim dependere ab analogia, quæ intercedit homini cum Macrocoſmo, ejusque actionibus & pasſionibus vicisſitudinibusq;, quæ contingunt in ſiderum ſphæra; ſic certum eſt à tenebris, quibus mundus involvitur circa noctem, ſomnum produci, quod & ſimilis quædam pasſio in Microcoſmo ſuboriatur, ubi *homo* tenebris occupatur ibi ſenſus concidunt, & ad conſueta munia fiunt inhabiles, quippe tenebræ â nobis non conſiderantur ut

nudæ

nudæ qualitates privativæ, ſed ut ſubſtantiæ poſitivæ exiſtentes; quo in Dogmate ſequimur nos *Celeberrimum* Virum D. D. *Sebaſtianum Wirdig* Profeſſorem Roſtochienſem Famigeratisſimum, qui in ſua Medicina Spirituum *libro Eruditisſimo* c. xi. c. 1 p. 34. *Tenebras eſſe ſubſtantiam,* ſcribit, *ſpiritualem activam*: ſic & *ſomnus* in homine eſt quaſi nox Microcoſmi, ubi tenebris homo involvitur, *qua de re alias*; ita *opium* propinatum, in Microcoſmi orbem inducit caliginem, tenebrisque hominem involvit; ſicque etiam heic *optimè* loquitur *Celeberr.* Wirdig al: Tract: l: 2. c- 3. §. 10. *Inde etiam una liquet*, inquit, *qua ratione Narcotica & Soporifera Medicamenta ſomnum inducant, & quidem, non quidem frigiditate ſua, multo minus caliditate, potius opacitate ſua, qua ſpiritus nimium lucidos, pellucidos, radiantes nigrore & crasſitie ſua obfuſcant, obſcurant, opacant, & hoc modo noctem & tenebras inferunt opiata & papaverina, quæ ſomnifera ſunt: Omnia prima fronte alba quidem apparent & lactea, ſtatim autem & quamprimum ſuccus lacteus exſiccatur, extemplo nigricat & liveſcit, exhibetque nigrore ſuo, livore & ſignatura ſua atra haud obſcurum obſcuritatis ſuæ & tenebricoſitatis internæ teſtimonium & documentum.* Quando nunc *opium* aſſumitur ab homine, tunc ſaltim illud *opium* in quandam auram tenebricoſam diſſolvitur, & hac tenebricoſa aura lucem Microcoſmicam obſcurat diemque Microcoſmi in noctem transformat, hinc homo in ſomnum labitur, qui tamdiu durat, donec aura illa ſpirituoſa *opii* ſit diſcuſſa, hic au-autem opio crudo potentior eſt, quam in præparato, ignis enim hunc ſpiritum rapit, quoniam conſiſtit in particulis ſalinis volatilibus, *Quare omnia naturæ effecta non de-*

*bent adſcribi ſolum calori* & *frigori, ſed & multa Tenebris & Luci: hæc quatuor in rerum naturalium ſcena omnem Comæ diam & Tragædiam ludunt, hinc rerum Geneſis, hinc rerum Analiſis.* Non obſtat in *opio* inveniri: (*Subjectum à nobis* Vulcano ad torturam opium exhibuit, per Ω vitream illud per ſe ex ∴ Ωdo. (1) Phlegma, (2) Spiritum volatilem ſeu Sale volatili refertum, urinoſum, qui cum Spiritu Vitrioli aliisq; acidis commixtus effervеſcit, odore reſtante fætido. (3) *Oleum* nigricans, ex quo patet vis agendi opii, mox pluribus delibanda (*oleum illud* nigricans propriè nihil aliud eſt, quam concentratum punctum ſpirituum ſoporiferorum citoque in auram tenebricoſam aſſumptum ab homine ſolubile) ineſt ſulphur copioſum, ſeu ſubſtantia oleaginoſa, inflammibilis, ineſt Mercurius, Sal volatile vaporoſum, ſeu halituoſum, præter aqueas & terreas paſſivas, & ſalinas fixas in capite mortuo reſiduas partes, ut *eruditisſimè* incomparabilis *VVedelius* C: IX.a.l.p.33. demonſtravit; nihilominus in tenebricoſa aura omnem vim ſoporiferam collocamus. *Et ab hac* ſententia noſtra non alienus eſt *Summus* vir modo â nobis laudatus, uti patet ex adducto loco; cui junge locum ex cap: XII. p. 43. ubi hic *jenenſis* Æſculapius ita infit: *Nobis*, ut, *quæ hæreat* ſententia, explicemus, videtur *opium* conſtare ſulphure facile reſolubili &c. Diſſenſus forte eſt, (voluntatis nullus, huic enim Magno viro aſſurgimus) circa vocabula, an illud facile reſolubile ſulphur ſit indigitandum, quod nobis non videtur; ſed *potius* quod ſit *ſpiritus aliquis*, hinc quoque â colore præprimis eſt diſſolubilis. Et hoc noſtrum aſſertum quoque *ſtatuminamus* hujus *Clarisſimi* viri verbis ex eodem capite deprom̃ptis p. 44. *Notum eſt* ex chymicis,

inquit,

inquit, quodlibet mixtum proprium ſibi depoſcere menſtruum, præcipuè verò præ omnibus ſulphurea. *Sulphur* commune nunquam ſolvitur aqueis, nunquam obſecundat & vincitur acidis, nec ipſi cedit aquæ forti, aliisq; ſtygiis, licet ſalinis fixis intimius conmixtum ſit particulis, nullum oleum cum acido, vel aqueo per ſe combinatur, nullum ſulphureum, neque ſpirituoſis ſulphurea æque parent. Aſt *opium*, ut ſuo loco latius docebitur, omnia æque amat menſtrua. Confer quæ Celeberrimus Vir habet p. 43. præcedenti: *oportet itaque id*, in *quo ſoporifera opii facultas radicatur*, â *ſulphure* longisſimè ſit diſtinctum; & licet ſolvatur *opium* in omni Menſtruo, nihilominus vis ejus indomata manet. *Malumus* itaque *opii vim* ſoporiferam collocare in quodam ſpiritu tenebricoſo; *quales autem particulæ ſint lucis & tenebrarum nondum ſatis determinatum eſt â mortalium quoquam; quam quod lucis particulæ ſtatuantur ſummè mobiles, penetrantisſimæ & primi Elementi: tenebrarum non æquè veloces, aut penetrantes, quare ſomnus ab opio Cauſatus non dependet â copula ſulphuris narcotici cum noſtro ſulphure vitali,* ut idem Celeberrimus Vir d. l. p. 44. aſſerit, *ſed ab obſuſcatione lucis primigeniæ innatæ Microcoſmicæ*, (ignoſce Virorum Celeberrime nos hic diſſentire, & ut fiat ſalvo jure amicitiæ rogamus, (*nam dum opium ſolvitur, ibi ſpiritus ille halituoſus tenebricoſus lucem Microcoſmicam primigeniam obnubilat, obſcurat, hinc ſomnus ab opio.* Idcirco *opium* etiam alia corrigentia deſiderat, quam hactenus autores uſurparunt. Circumferuntur ſat multa laudana opiata: verum nos nullo utimur, quoniam nobis omnes illæ compoſitiones, (unica illa excepta quam Cimbriæ noſtræ *Hermes* & Æſculapius. D. D. *Joel Langelott*

 Reveren-

Reverendisſimi Et Serenisſimi principis, Domini Domini Chriſtiani Alberti Heredis Norvagiæ, Poſtulati Coadjutoris Epiſcopatus Lubecenſis, Ducis Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comitis in Oldenburg & Delmenhorſt, Domini Noſtri Clementiſſ: Archiater meritisſimus conſultiſſ: felicisſimus: Experientisſimus *Fautor & Amicus* noſter ſingularis, & ultra ¦ſolduriorum leges fidelis, cui abſenti hæc in Memoriam *Revocamus, Noſtri eſto Memor magne patrone in bonum!* communicavit) ſuſpectæ ſunt: in praxi noſtra utimur opio præparato, valeant iſta communia laudana; ſatis prolixè hoc de *opio* nunc aſſeruimus, & multa plura adducere liceret, ſed contrahimus velum: Hicque eſto ſecundus gradus ad cognitionem philoſophicam plantarum *comparandam. Quare ad alia* adminicula nunc tranſimus.

§. 34. (3) *Plantarum* cognitionem philoſophicam comparamus ex Diligentisſimo Scrutinio *ſignaturæ* plantarum. Per *ſignaturam* plantarum non intelligimus iſtam *Crollianam*, ſed alibi quærenda eſt plantarum *ſignatura*: ridiculum quippe eſt ſi quis ex colore flavo argumentetur, flavum eſt, ergo bilem purgat; ceſſat etenim nunc iſta conjectura de Electivè purgantibus, poſtquam illi quatuor humores in Utopiam ſint relegati; ſed omnia commodius ad ſanguinem referuntur, & reliqui alii humores tres nihil aliud ſunt quam cruoris Recrementa, quæ ab eo ſequeſtrantur beneficio fermenti ſequeſtrativi (duplex enim fermentum in corporum naturalium in Oeconomia agnoſcimus, *Asſimilativum*, & *Sequeſtrativum*, de utroque alias dicemus) ſed de iis non eſt hic agendi *occaſio*, vide *Diſſertationem* de Animalium familia. *Nos*

planta-

plntarum ſignaturas querendas eſſe ſtatuimus in particularum *continuitate* vel contiguitate, 2 *in pororum* conſtitutione: utrumque magnam lucem accendit noſtræ arti Aſclepiadeæ; Peripateticorum Scholæ omnia metiuntur qualitatum & formarum doctrina, & ubi hærent, ſtatim ad occultarum qualitatum aſylum confugiunt; & miramur hos philoſophos omnia naturæ phænomena ad formarum qualitatumque regimen revocare, cum tamen ipſi hactenus ſuam ignorantiam circa qualitatum & formarum naturam fateantur, §. 30. p. 55. quare non potius ad *particularum* ſitum, motum, & figuram, earundemque magnitudinem reſpiciunt, earumque particularum poros? *Pororum* doctrinam & ſubtilem admodum & utilisſimam *Philoſophorum* Phænix *Renatus Des-Cartes*, *Henricus Regius*, *Eraſmus Bartholinus*, *Wedelius* in Scholas reduxerunt, inque lucem protraxerunt: Neque hæc philoſophia corpuſcularis adeo nova eſt, aut propediem nata; ita enim & veteres ex Empedoclis Doctrina effluvia rerum neceſſario poros requirere ſcripſerunt: *in quos & per quos effluvia huiusmodi emanant: ex effluviis autem quædam poris quibusdam congruere, quædam minora vel majora eſſe:* conſule *Platonem* in *Memone* cui ſuffragatur *Plinius* l. 22. *Hiſt: Natural:* c: 24: *Eſt & ratio ſubtilitatis inmenſæ, inquiens, à Platone deſcendens: corpuſculis rerum lævibus, ſcabris, anguloſis, rotundis, magis aut minus ad aliorum naturam accedentibus:* ideo *non eadem omnibus amara aut dulcia eſſe.* Et *Plutarchus* l: 1. ſympoſ. eleganter pororum operationes explicat; dum ita infit. *Quorundam florum odoribus ſurſum disſipatis ad Cerebrum, fit, ut pori inſtrumentorum ſentiendi, expurgentur*, & *humores incidantur ſenſim absque vehemen-*

 *ti ictu*

*ti ictu aut agitatione diſcuſſi: ſimulque Cerebrum natura frigidum refocilletur.* Confer elegantisſimam Diatribam Excellentisſimi D. D. *Wedelii* de Sale Volatili c. VII. De *Poris Salium* Volatilium.

§. 35. *Per pororum Doctrinam optimè* (1) explicamus admiranda & ſtupenda illa *Idioſyncraſiæ* exempla. Ad illuſtrandam Doctrinam philoſophiæ corpuſcularis unum atque alterum hic adduxiſſe operæ pretium eſt: *Acta Philoſophica Anglicana* ſequentia commemorant: p: 445. 446. *Quidam vocatus Morley Edmundiburgenſis cum laboraret malo Aſthmatico, conſilium acceperat à quibusdam comedendi boni Anglicani Mellis cochleare unum, quo facto æger undiquaque tumeſcebat, quaſi devoraſſet perniciosisſimum venenum. Dominus Goodich extemplo advocatus, ut vitam ei ſervaret, præſcripſit commune ſudorificum, quod convenienti tempore eum priſtinæ conditioni reſtuit:* quamvis *Galenici* & *Peripatetici* hic omnes nervos ſuæ artis intendant, tamen ex ſuis principiis minimè explicabunt: ſi vero pororum doctrinam vel *Philoſophiam* Corpuſcularem conſulimus, ſtatim illa tanquam Delphicum oraculum reſponſum promit; videlicet *particulæ Scabræ, anguloſæ ſeſe inſinuarunt in Mellis poros ac eos magis magisque extenderunt, in minimas particulas reſolverunt, non aliter uti ignis reſolvit granum Caſtorei, ut illud ſuo vapore totum cubile impleat: vel quemadmodum fæces à candelis emunctæ adhuc ignitæ fumant, & ſuo fumo vaporoſo abortum cauſari queunt & pectus coarctant, & cum Mel ſit compoſitum ex particulis diverſarum plantarum congeſtis, quæ particulæ ſunt facile flexiles, &c. tum quoque ad fermentationem pronæ, hinc illæ particulæ ſunt poroſæ & ob ingreſſum particularum quarum pori cum particularum Mellis pororum figura non*

*ra non datur aliqua convenientia: hinc illæ à ſe invicem disgregantur, ſeſeque expandunt per univerſam corporis oeconomiam, & hanc expanſionem rurſum contraxit datum ſudoriferum, quod credimus conſtitiſſe præcipitantibus.* Aliud exemplum adducimus ex iisdem *Actis*: *Fæmina Raymund* de *Stow-Market, quandocunque* tonitru percipit, &ſi è longinquo, corporis morbo afficitur, debilitatur, Stomachi infirmitate laborat, pronaque eſt ad vomitum. In ipſo momenro (at the verii Conung over offit) incidit in perfectam choleram, & perſeverat in vomitu & profluvio ventris quoad Tempeſtas durat, idque modo violentiore, quam ſoleat procurari Medicamentis in hunc finem præſcribi ſolitis, & ita ſe habuit fæmina à pueritia: *Reddant* Galenici hujus *Idioſyncraſiæ* ad Tonitru rationem, aqua ipſis profecto hæret, & coguntur ad Aſylum occultarum qualitatum confugere: Philoſopia corpuſcularis rurſum negotium felicisſimè expedit: *videlicet, Fæmina hæc habet poros optimè diſpoſitos ad ingreſſum concedendum iis particulis ſulphureis nitroſis Crudis, quibus circa inminens tonitru aer turget, & hæ ingreſſæ ſubvertunt Stomachum, alvum irritant, quippe illæ particulæ ſunt ſcabræ, hamatæ, acutæ, & anguloſæ, hinc alvum quoque turbant, nam ob figuræ pororum diſparitatem oritur hic affectus.* Et fortè aliquis dicet, aliam hujus idioſyncraſiæ cauſam eſſe, videlicet partes nervoſas reſolvi, ℞ quamvis lubentisſimè concedamus nervorum Syſtema maximam alterationem pati in hominibus metu perculſis, ita ut frequentisſimè illis hominibus alvus laxetur, qui in tam repentinum pavorem incidunt, vel etiam urinam ſæpius cogantur reddere, ac eam vix retinere queant: nihilominus illa nervorum reſolutio non fit ex nihilo, ſed ex ali-

qua

qua ſpirituoſa aura primis minimis conſtante, quæ nervos velicat, pungit; & nuda nervorum reſolutio, quamvis excrementa profluere faciat, quemadmodum mihi videre contigit in Apoplexiæ inſultu tactis, quibus invitis excrementa profluxerunt, ſed ſæpius nil quicquam in debita conſiſtentia mutata, tamen excrementa non ſemper tam fluida reddit, ut pote in cholera requiritur, hinc neceſſe eſt aliam quoque cauſam præter nervorum reſolutionem adeſſe. Et quis quæſo vellet hic tam vehementem nervorum reſolutionem accuſare, notum quippe, ex *Hippocrate* noſtro, quid nervorum reſolutio portendat, & tum nervorum reſolutio vel ſideratio involuntariam excretionem præſupponit, tale quid in hac hiſtoria non legitur, nil ergo hoc argumentum concludit. Hæc eſt noſtra conjectura de allatis *Idioſyncraſiæ* exemplis, quam aliorum judiciis lubentisſimè ſubjicimus.

§. 36. (2) *Pororum* Doctrina explicat modum operationis plantarum: hic audiamus nos informantem *Celeberrimum Wedelium* a. l. *Quoad ſalia vero volatilia*, inquit, ſi, quatenus è mixtis producta & ſeparata conſiderantur, poros ea nacta ſunt acutos, hinc linguam feriunt, & nares, hinc obtuſis his ſpiculis cum oleo facillimè nectuntur &c. *Deinde* ſubtiles, unde facillime penetrant, & in corpus aſſumpta celerrime laborantibus viſceribus vitalibus ferunt ſuppetias, & vel è ſtomacho nondum egreſſa in ſanguineam maſſam vibrant effectus: *ſuntque verba aurea & tanto oraculo Germaniæ noſtræ digna* (3) *Ex pororum* & particularum motu, ſitu, figura & magnitudine deducimus *ſaporum differentias*: *Sapor* quippe, (ut optimè definit Celeberrimus *Henricus Regius*) *eſt diſpoſitio particula-*

*rum*

*rum inſenſibilium rem ſapidam conſtituentium quæ nervos guſtatorios, linguæ implantatos, certo modo & ſatis validè movere eſt apta.* Hincque prælaudatus Philoſophus ſalſum ſaporem rectè derivat: *Nam quia ſal.* inquit, *conſtat particulis oblongis & duris*, atque *ideo linguæ fibrillas punctim ferientibus, idcirco ipſi ſalſus ſapor competit. Aceto vero, quia ſunt particulæ, præter aquoſas, linguam ſcisſim moventes, ideo acor ipſi tribuitur. Sic Abſynthium* creditur amari ſaporis, quoniam ejus *particulæ* ſunt intortæ, diverſimodè *angulata*, & non facile *flexiles* pauloque plus exuſtæ, & hæc planta quoque posſidet quandam *tincturam* ſpiritus caliginoſi, obinde largius aſſumpta ſomnum inducit. Sic *Acerbus* igitur ſapor, quem in fructibus immaturis experimur, ut in agrestibus prunis, quæ linguam aſperè perfricant ac veluti acubus, & ſpinis horreſcentia, pungunt & configunt, quoniam particulis conſtant acribus, & rigidis. Nam cum ſuccus, quo oppletur, nondum probè percolatus ſit, corpuſcula continet arefacta, & parum flexilia; cujusmodi ſunt ea, quæ ſalem componunt: unde mirum non eſt, ſi ubi linguam ſubierint, illam contrahant & exaſperent. *Acrem* ſaporem in *cæpis*, *Sinapi* ſemine, *pipere* deprehendimus, quæ linguam pungunt, eamque diviſionem in illa faciunt, quam ignis faceret ſi eidem organo applicaretur, Ratio eſt, quod *Piper, Zinziber* &c. oblongis, tenuibus ac rigidis particulis conſtant, quibus corporibus, quæ componuntur, ſiccitatem & rigorem facile conciliant: Si verò aquis calidis committantur, coquendo manſveſcunt, acrimoniamque deponunt; eo quod aqueus humor illa *partim* pervadens, ſalem volatilem, aliaque acria corpora exſolvat, & laxatis

calore meatibus ſecum deferat; *partim* particulas anguillares aquæ ſeſe in poros particularum vel ſpicularum inſerunt, eos ſua viſciditate opplent oblinuque vel etiam ſalem volatilem eodem modo figunt&conſtringunt. Hinc ita aliquando macerari queunt, ut depoſitis ſapidis potius acubus illis, particulis auſteris, indulcia tranſeant & demum in ſipida reddantur. *Dulcem* ſaporem in omni fere fructuum genere, ubi matureſcunt, exploramus, quibus lingua quodammodo oblinitur, & ejus partes æquali tractu præterfluunt: quoniam continuo ſolis ardore blandè coquente, accurata fit ſucci percolatio, reſolvunturque particulæ antea implexæ. Quibus lævigatis, & notabiliter imminutis, neceſſum eſt, ut cito linguam permeent ea quadam titillatione afficiant. Is ſapor maxime *pueris*, & *puellis* eſt *accommodus*, iis etiam qui delicatiori fibrarum plexu pollent: minus autem iis gratus, quibus fibrarum plexus eſt crasſior, qui pasſim dulcedinem inſulſam ſentiunt, nihilque eam morantur, niſi quandam acrimoniam ad mixtam habeat: Eorum verò placitis ſubſcribere non poſſumus, qui ſaporem dulcem cum inſipido pro uno & eodem habent, differunt enim in eo, *quod ſapor dulcis* quodammodo nervos guſtatorios titillet, ſapor verò *inſipidus* & quid ingrati ſimul habet admixtum, &c. Et ſic philoſophamur cum illuſtri viro *Antonio Le Grand* paucis immutatis, qui & videri poteſt. a. l. Artic: XI. V. p. 433. 434. Cuilibet autori, ex quo quædam in hoc noſtrum opuſculum transtulimus, ſua reddimus cum præfamine honoris: quodſi alii hoc ea fide facerent, plagium in mundi parte Utopia exularet & neque adeo alienis plumis ornati in publicum progrederentur, quotuplicis autem generis plagium

plagium committatur diximus in *noſtro Scrutinio Nigredinis Æthiopum* (§. XII.) Et ſi forte de ſuis aliquid adjiciant, tunc id faciunt tam jejunè, ut nihil ſupra, ſicque ſæpius purpuræ Regiæ aſſuunt pannum menſtruatum, *pulcherrimos ingenii fætus purpuræ ſplendore amictos,* (diximus *alias*) *ſuis ſqualidis involvunt veſtibus*: Sed mirabitur L. B. quare toties plagium litterarium repetamus, cum tamen antea (§. 8. p. 13. 14.) de famoſo plagio dictum ſit: ℞ *Plagium* in autoribus notare debemus, quoniam nonnulli adeo alienis plumis ornati ſuperbiunt, & quoniam illud nobis adeo diſplicet, hic non ſolum & ante, ſed & poſt, *data occaſione*, de plagio querimoniam repetemus. *Nos* nulli mortalium quicquam debemus; Deo ſapientiæ fonti, propriæ induſtriæ, & mortuis præceptoribus omnia accepta referimus, Deo dicimus grates pro ſuis dotibus nobis conceſſis & ulterius rogamus nobis ſuum Spiritum Sanctum largiri velit, & improbo labore pergimus in noſtro labore, mortuis præceptoribus ſua cum Præfamine honoris reddimus; aliquid & nobis vindicamus: das vilſleicht die Herren Zoili alhie die Naſe rümpffen/ id non curamus, nos animum noſtrum contra horum Momorum rabiem munivimus: conſtat enim nobis ex multiplici experientia præterita, præſenti, quæ contra nos *Machinentur* hæc livoris mancipia, verum â nobis nihili æſtimantur, ſed cum quolibet amicitiam malumus, quam immicitias, quamvis oderint ſine cauſa! *Ex eodem* fonte vel *particularum* & *pororum* diverſitate *Tactus* (4) *diverſitatem* derivamus: ubi enim particulæ inſenſibiles, loquimur rurſum cum *Henrico Regio*, alicujus corporis variè celeriusque quam noſtri corporis particulæ moventur

 tur

tur, ſentitur earum calor, ubitardius frigus; ubi corpora ſtabilia liquore ſenſibili percipiuntur perfuſa, ſentitur humiditas: ubi illa, inſenbili liquore ſentiuntur prædita, percipitur ſiccitas, ubi corpora vehementius deorſumtendunt, ſentitur gravitas, ubi tardius & imbecillius, levitas, ubi corporum partes reſiſtunt tactui, ſentitur durities; ubi cedunt tactui, mollities, ubi particulæ corporis æquali ſuperficie cutim movent, ſentitur lævitas; ubi inæquali aſperitas. Ubi partes noſtri corporis tam vehementer moventur (malumus ubi pori noſtri corporis ob ingreſſum paricularum citisſimè motarum diſtenduntur) hinc quoque dolor & quoniam partes noſtri corporis eatenus ſentiunt, quatenus per eas diſperſa ſunt nervorum ſubtilisſima filamenta, quoniam autem nervorum pori arctisſimè coiverunt, hinc particulæ penetraturæ ad ſuum ingreſſum majorem motum requirunt, hinc & nervoſæ partes dolorem concipiunt, & quoniam carnis pori magis patent; hinc particulæ ſine violentiori motu intrant, ſicque etiam minus afficiunt. Vide *Diſſ: de* Animalium familia) ut lædantur, ſentitur dolor; ubi vehementius citra læſionem moventur, percipitur titillatio, ſive voluptas tactilis; (quam nos potius derivamus à particulis unguinoſis parvo acore præditis, ſed tamen rotundis, ut ſi afficiant nervos, ſimul tamen inungant unguine particulis rotundis conſtante.) Sicque omnem tactilitatem ex pororum figura & particularum motu derivamus; quid hic communiter alii Philoſophi ſtatuant, notum.

§. 37. (5) *Et hinc odorum differentia*, cumque illa effluvia pro varietate ſuarum particularum poros nervi odoratorii moveant, ita in illo particularum motu & po-

rorum

rorum capacitate ad hunc motum intromittendum odorum diſcrimina oriuntur. Iſte verò actus odorationis ita ſe habet: *dum* tenuisſimæ corporum particulæ diſiunctæ, & in aere volitantes, non quidem quælibet, ſed quæ ſatis ſubtiles, ſimul ac ſatis vividæ ſunt, ut in nares attractæ, tenuisſimas ſenſorii fibras pulſent, titillent, vellicent, & variis aliis modis illas afficiunt. Hoc præter ea notandum, odorum diverſitatem, ut *plurimum* ab eo principio provenire, à quo fit ſaporum variatio, h. e. ab ea diverſitate, quæ in Magnitudine, & Figura partium, quæ ex odoris corporibus exhalantur, reperitur. Quod facile quis ſibi perſuadebit, ſi animadvertat quandam inter ſapida & odorata intercedere analogiam, & ea quæ in ſapore conſentiunt, etiam odore convenire. Hinc acria omnia pungentem odorem habent & amaro odore conſtant, ad amaritudinem accedente: adjunxi ut *plurimum*, quia aliquando contingit, ut odoratum cum ſapido non conveniat, ut in *Roſis* & *Myrrha* patet, quæ quum ſapore amaro & imbuantur, odorem nihilominus ſuavem & organo gratisſimum obtinent. Quid ſi ita *plantas* examinemus juxta philoſophiæ corpuſcularis amusſim, & non qualitatum labyrinthum, §. 30. p. *58*. §. 34. p. *69*. nullus tam blendus & ſtupidus, ut non inducatur in cognitionem ſtirpium Philoſophicam: *Hicque eſto tertius* gradus in ædem philoſophiæ Botanicæ exſtructam: deducemus nunc ex eodem fonte philoſophiæ corpuſcularis colores.

§. 38 (6) *Ex eo principio quoque* ludentes colorum imagines in plantis & floribus accerſimus; *de coloribus* paucisſimis nunc negotium expediemus: *Albus color* primo in radicibus exinde oritur, quoniam multum materiæ

ſpermaticæ continent, quæ cum â circumambientis telluris particulis rigidis obſideatur,& aliquatenus prematur, impediatur ob attractionem ſuccesſivam ne in auras effluat, & blando orgaſmo animetur, ita in ſpumam coagulatur, quippe cum in motum eſt conjecta, non tamen in motu tam feſtinanti pergat, hinc circulatur, in ſe particulas à ſe contiguans, quæ ita contiguæ lucem undique remittunt, & alborem creant. Ob eandem cauſam *Nix*, *Spuma*, candidæ apparent, quia totæ ex glolulis, ſivè ſphærulis componuntur, quarum pori ita ſunt comparati, ut lucis radios reverberent. Nam objectum candidius redditur, quo minoribus bullis conſtat, quoniam cum ſingulæ bullæ ſecundum omnes ſuas particulas, lumen reflectant, quo plures intra aſſignatum ſpatium occurrent, plures quoque radii remittentur, quia albus color ille eſt, qui ad luminis rationem magis accedit. Hinc liquor, quantumvis nigerrimi coloris vel etiam rubri, candidus efficitur, ſi in ſpumam convertatur: ac proinde mirum non eſt, ſi radix terra cooperta candeſcat, cum tenaci humore conſtet, qui terræ tepore facile ducitur, & in exiguos orbes tornatur. *Ob eandem* rationem lilium albeſcit, multumque candoris præfert; quia ejus ſuperficies, in ampullas turgeſcit, multasque facieculas luminis radiis recipiendis obvertit. Nam in lilio ſuccus probè percolatur, & ſubſtantia ejus benè cocta, in ſphærulas concreſcit. Albeſcit igitur *lilium*, quoniam tenuis illa pellicula, qua ejus ſubſtantia tegitur, ex globulis conſtat, quos viſu, microſcopio adjuto, facile quisſpercipiet. *Ex his principiis* jucundum Naturæ phænomenon Botanicum ſolvemus: quod communicat Celeberrimus *Jacobus Breynius*
Tom:

Tom: 4. & 5. Ephemerid: Curioſ: *Arborum* Germanicarum rariſſima, inquit, junior quædam pedalis magnitudinis arbuſcula fuit, foliis ſex vel Septem quercui vulgari ſimilibus, ſed omnino niveis, aſſpectu jucundiſſimis, mirificiſſimisque ornata, ante annos ſex in Caſſubiæ montibus enata, indeque effoſſa, horto meo illata &c. *Cauſam* diverſi hujusmodi in foliis coloris Botanicus Celeberrimus D. D. *Moriſon* in præludio ſuo Botanico calci tribuit, radici ſuppoſitæ, vel pari mixturæ calcis cum terra ruderoſa, à qua attracto per radicem ſucco, folia veluti morbum contrahant, qui pangendo in perennibus duret, ſatione evaneſcat, Ad me, quod attinet, inquit, huic inventioni non repugno. Verum quod etiam ex ſemine ſine additamento calcis verſicoloribus foliis quædam educantur plantæ, experientia novi. In primis Datura Turcarum, quæ caſu in horto meo viridibus flavis, & albicantibus variegatis foliis apparuit: ex cujus ſemine non iterum plantæ tantum cum ejusmodi foliis diſcoloribus; ſed cum quibusdam fructibus etiam viridi flavoque colore ſtriatis, provenerunt: Neque quercum noſtram ex Calce; ſed ex glande, ex qua enata, virtute producendi aliquid prædita; ſed vera productrice viriditate deſtituta, candorem ſuum traxiſſe autumo, qua deficiente viredo abſolvi haud potuit. Et plantæ hanc ob cauſam verſicoloribus aut niveis foliis præditæ, ex ſemine iterum produci diſcoloribus poſſunt. Quamquam ex eodem etiam ſemine, ſi vigorem naturalem plenè iterum recipiat (quod facile fieri poteſt) plane viridibus naſci poſſint. Hactenus illud *Floræ Decus Breynius*: Hujus Albedinis cauſam in foliis quercus magis derivamus ex particularum ſucci *con-*

*tiguitate pororum*, qua in multas *ſphærulas fuerunt reſolutæ* lucem undiquaque remiſerunt, & quoniam ſic *lux* ex poris in poros translata & vibrata, hi pori illi luce *pleni albedinem* præ ſe ferunt, & quanto magis pori ſunt recti ſine curvis ductibus, eo etiam res magis albeſcit, quippe cum & ipſa *lux* ſentiatur candida; quando verò pori ſunt *Labyrinthei*, confractuoſi, tum hic vel iſte pori angulus, vel hæc & iſta particulæ protuberantia facieculam aliquam inducit quadam umbra ſtipatam, hinc vel albedo quadam cærulea tinctura inficitur; & ita nata eſt albedo in foliis quercus *Breynianæ. Viridis color plantis familiariſſimus & maximè communis eſt, hinc oritur cum videlicet particularum pori non adeo ſint recti ſed ſic diſpoſiti ut lux poros permeans modo illic in gibbum particulæ incidat, modo in porum profundum, modo in profundiorem, modo in profundiſſimum, & ubi illi pori habent in ventre ſuo alios poros abliquos modo aſcendentes, modo deſcendentes, modo ex abrupto decurtatos, hinc in quibusdam poris propter prominentiam alicujus gibbi major eſt caligo, in aliis poris magna interſtitia relinquuntur, quæque magnam varietatem reflexioni luminis afferunt, hinc ille radius, qui & tam duplici poſitionis figura vel pororum latiore, vel anguſtiore intermediante prominentia facieculam tenebroſam inducente fracta tamen ab alio radio patentioris pori, hinc & luce magis evibrata, reſultat viridis.* Et tantum nunc de colore albo & viridi plantarum in compendio dictum ſufficiat, *plura alias*: ſic & commodè explicari poteſt; quomodo in variis floribus tam diverſi colores, ut in Tulippis, ſimul ludant, poteſt hic L. B. conſulere Nobiliſſ. philoſophum *Anton. Le Grand.* d. l. l. §. 8. Articul. 13. p. 1431. reliquos colores nunc etiam expediemus: Nobilisſi-

bilisſimum experimentum adferemus ad pororum doctrinam ulterius confirmandam & illuſtrandam ex *Nobiliſſ. Academiæ Naturæ Curioſorum Zephiro*, quod ex Inſignisſimi *Williſii* Diatriba de *Fermentatione* ex ſcripſit: Et id ita ſe habet. *Infuſio Gallarum limpida, ſolutioni vitrioli permixta, fit atramentum; huic ſi ſpiritum vitrioli, aquam ſtygiam adjiciamus, liquor nigricans inſtar aquæ fontanæ fit denuo pellucidus; hunc oleum tartari in atramentum reducit. Quodque magis mirum eſt; ſi in charta cum vitrioli infuſione limpida ſcribamus, & literas quascunque exaraverimus: quod ita ſcribitur, breve evaneſcit, nec characteris veſtigium aliquod relinquitur; verum tamen, ſi infuſio Gallarum chartæ illinatur, protinus literæ velut atramento ſcriptæ legenti proſtant: quas tamen penna ſpiritu vitrioli intincta, uno illitu prorſus delet: atque ſtatim alio liquore tartari imbuta, denuo reddet:* Q. VIII. *Disquiſit: phyſic: Medic: de Ferment:* p. 239. Hoc eſt ex autopſia & fide experientiæ philoſophari, illi, qui ſic philo ſophantur, quaſi ex tripode mera oracula fundunt; Optimè *Caſparus Hoffmannus* olim Altorphinæ Decus Academiæ l. de liene c. 1. *Omnes enim pro bonis viris habeo, qui ſcripſerint, quod viderint.* Hanc doctrinam de coloribus etiam multum illuſtrant, quemadmodum hæc habet *Williſius* ille Britannorum Medicorum nulli ſecundus, cujus inſignisſimi viri (præmaturum verò obitum dolemus, non enim ſine maxima artis Medicæ jactura occubuit hic Neſtoris ævo dignus Medicorum Anglorum Apollo) labores nunquam ſine honoris præfamine citamus, verum plagium abeſſe volumus (confer §. 8. p. 13. 14. c. 3) Rerum enim omnium ſapientisſimus Diſpenſator cuilibet ſuas dotes, quibus uti posſit, concesſit, quare nemo de-

bet feriari, & in aliorum laboribus conſeneſcere: autores non ideo ſunt uſurpandi, ut inſtar pſittacorum verba eorum repetamus, ſed ſunt ſaltem commilitones, vel Nautæ in communi Oceano ad Expeditionem colchicam nobiſcum navigantes, de cujus aureo vellere obtinendo pugnamus & laboramus. Multi multò majora præſtitisſent, niſi Napello Servitutis autorum intoxicati fuiſſent. Nobis Symbolum eſt in hac expeditione *Deo Duce, nulli cedimus!*) *Rubrum verò appellatur*, quod materiam ſubtilem, ſeu luminis radios repellendo, efficit ut ejus particulæ, validè circa centrum moveantur, eadem ratione, qua pila ſe circumagit, dum terram tangendo movetur, aut obliquo reticulo vibratur. *Flavi, purpurei, & virides colores* ab hac particularum circa centrum diverſa rotatione oriuntur *hoc pacto*; *Flavus color* arborum foliis & fructibus, dum matureſcunt, peculiaris eſt, quia amiſſo humore, qui ipſis virorem conciliabat, non niſi ſuccum continent probè percolatum. Quo fit ut eorum ſuperficies in majores orbes, ſeu ſphærulas aſſurgat, quæ magna interſtitia inter ſe relinquentes, magnam varietatem luminis reflexioni adferunt. Quippe ſi corpora flava microſcopio adſpicias, tota aſpera & ſcrabra illa deprehendes veluti innumeros monticulos habentia; ſed ita diſpoſitos, ut licet eorum cacumina verſus locum aliquem determinatum, in quo eſt oculus, aliquid luminis reflectere posſint, non autem reliqua ſua ſuperficie. *Flavus* color inter candidum & rubrum poſitus eſt; quod ſatis clarè ex liquorum mixtione oſtendi poteſt. Quippe ſi liquorem album rubro, vel è contra rubrum albo infundas flavus color ex ſurget de colore nigro; conſule noſtrum

Scrutini-

Scrutinium de colore Æthiopum. §. XVIII. Adeo ut particulæ materiæ ſubtilis *flavi* coloris remisſius rotentur, quam rubri, viridis tardius quam *flavi: purpureus* autem, tantum mixtio cærulei eſt, cum rutilo colore, qui ſplendorem ſuum illi impertit. Sic *Auton le Grand Vir Eximius* part. 8. Artic. 17. §. 8. *Nunc*.

§. 39. *Ad quartum adminiculum*, quod nos in cognitionem plantarum philoſophicam introducit: hocque ponimus in obſervatione plantarum in ſe invicem transmutationis, plantæ in plantas transmutantur. Sic triticum degenerat in lolium, & Zeam, Zea in triticum, hordeum in Ægilopem, rapum in raphanum, ſiſymbrum in Mentham, ocimum in ſerpillum, vitis alba in nigram, nigra in albam, imperatoria in angelicam; cinamomum in laurum; ſi extra proprium locum plantetur, piper in hederam in Italia. *Sylv: Rattray* aditu novo Ad ſympath. & Antipath. p. 41. Ebulus in ſambucum, ilex in quercum, adianthum in Scolopendrium; l. c. p. 29. Lens in durum & rotundum Aracum, & ſecurinum & aparinen, ut obſervavit *Galeni* pater, referente *Galeno de Aliment: facult: Claſſ: 2. p. 3.* Quam in oſervando diligentiam, ſi hodie aliqui impenderent, dignisſimam laudem mererentur: Hoc enim modo ruſticis deridendos ſeſe non tam crebro propinarent. Et magis experientia hæc conferret, ad rerum naturalium cognitionem acquirendam, ac vanæ illæ ac alga viliores ſpeculationes, cenſente *Kergero* Celeberrimo Medico de *Fermentatione* Sect. 1. c. 3. p. 5. 8. ex *Sennerto Hypomnemat.* 5. c. 2.

§. 40. (5) *Ad* cognitionem plantarum philoſophicam aditum reddit facilem diligens *Experimentorum* ab

 aliis

aliis traditorum *Scrutinium*, & in aliorum obſervata *inquiſitio*: qua in re facem præfert *Franſiſcus Redus Senatus* Naturæ Myſtarum in Hetruria Dictator Summus: z. g. Johannes Lopetz Pigneiro Luſitanus, in loco Campomajor in Alenteco vulgo dicto natus, dum in provincia Zanguebar, ejusque regionibus Mongalo & Angos morabatur, quas flumen Cuama alluit, in ripa illius fluminis radicem invenit, poſtea ab inventoris nomine Raiz de juan Lopez pineiro dictam; Mihi relatum eſt, eſſe radicem arbuſculæ, quæ folia producit, colore & figuræ folio mali cydoneæ ſimillima, ſed paulo majora; floribus albis, in quorum medio aliquot fila, non nihil rubentia, prominent, haud ſecus atque in croco: ex flore gemmula naſcitur, ciceris magnitudine, quæ ubi calore maturuit, tandem ſiccatur, & rumpitur, emisſis multis minutisſimis ſeminibus: radix coloris citrini, & guſtu per quam amara eſt, aqua ſuper lapide tritam, & unius dimidiæ drachmæ pondere aſſumptam, nec non morſibus vel puncturis animalium venenoſorum applicatam, infallibiliter à veneno liberari volunt. Præterea credunt, eandem vino tritam, & in prædicta quantitate, accedente febri tertiana vel quartana epotam, omnem febrium ignem exſtinguere, & prohibere, ne unquam accendatur. Etiam hoc dicunt, eandem applicatam omne genus vulnerum viginti quatuor horarum ſpatio conſolidare, ipſumque ſimplicem & minutisſimum ejus pulverem, inveteratis vulneribus impoſitum, eadem magna felicitate ſanare. Eandem virtutem, atque adeo multo magis efficacem, alteri cuidam radici Della manique dictæ tribuunt, quæ in Africa & regione Cheteri, Maniquem inter & Sofalam colligitur.

Radix eſt flava, & ſubamara, fruticis cujusdam, qui nec flores nec fructus producit, ſed longis anguſtis, & tenuibus foliis radices mittit, & hederæ in morem per arbores & muros ſurſum repit: nec radices modo, ſed ipſi etiam in uſu ſunt ramuſculi. Agnoſco adverſam meam ſortem: etenim hæ duæ famoſæ radices, poſt tot & toties repetita experimenta, mihi nunquam exhibuerunt, vel minimum effectum, hujus ſuæ, vixque adeo celebratæ proprietatis. *Sic omnia* ad Experientiæ propriæ trutinam ſunt revocanda, & non ſtatim aſſenſum noſtrum omni relationi tribuemus, cum tamdiu ſuſpendere decet, donec veritas experimentorum concluſione aſſerta ſit. Et minimè mox apud nos inveniet locum illud ignavorum hominum: *Quia Ariſtoteles eſt, vel mentienti fides habenda eſt.* Optandum eſſet omnes philoſophi *Franſiſci Redi Viri* multiplici nomine Nobilisſimi veſtigiis inſiſterent, cuncta ad Experientiæ ſtateram appenderent. Sicque facilius in cognirionem plantarum philoſophicam devenire poſſent, & aditus aperiretur.

§. 41 Multa Miranda de plantarum virtutibus narrantur pasſim apud Celeberrimos Autores; Quomodo etiam *vegetabilia* pariter in vaſis teſtaceis aſſervata, quibus ædium feneſtra ornari ſolent, v. gr. Roſmarinus, caryophyllus niſi mox â Morte Domeſtici loco moveantur, marceſcunt & pereunt. *Mandogneus* in vita *Marci Aurelii* l. 3. c. 10. in literis ad *Antigonum* exaratis mentionem facit cujusdam amorificæ in cypro naſcentis ad amorem conciliandum ſic ab *Aurelio* probata, ut, qui ſucco hujus herba tangeretur, protinus perditè ſuum amaret tactorem: ſi autem frige facto eodem ſucco idem ipſe tangeretur,

retur, amor in odium commutaretur, citante *Laurenbergio* Horticult: l. 2. c. 5. Cortex *ſambuci* medius, qui viridis eſt, ſurſum avulſus vomitum procurat; deorſum verò iſta pars decorticata per inferiora purgat, annotante D. D. *Beckero* in Beſchreibung deß Hollunders. c. 6. Idem de corticibus *Frangulæ* Joh: *Hornung* in *Ciſta* Medica Epiſt. 241. Et *Helmontius* non de *ſambuco* tantum, ſed & *Aſaro* prodit in de *Magnetic*: vulner: Curat: N. 30. Si quiſquam, inquit, folia aſari decerpendo ſurſum vellicaverit, purgabunt aliam i. e. tertiam perſonam tractionis neſciam, per vomitum tantum: ſin verò deorſum càrpendo, ſolam dejicient alvum. *Confer*: Celeberr: Joh: *Chriſtianum Frommanum* hac noſtra ætate Medicorum Primipilum in ſuo de Faſcinat, Eruditiſſ: opere l: I. part: II. ſect: III. c. IV. §. 7. p. 343. 344. Hujus admirandæ operationis juxta diverſitatem collectionis rationem reddere annitemur: Et hic rurſum ad philoſophiam corpuſcularem confugimus; *Particulæ*, dum ſurſum avellitur ille medius corex, ſitum, motum, figuram & magitudinem accipiunt, apte natam ad ſurſum tendentiam nam cum ſuccus ſurſum tendat per hunc corticem, hinc manent in iſto motu primigenio particulæ, quo ſemel â prima nativitate imbutæ; hinc etiam illarum operatio propter motum ſemel impreſſum eſt ſurſum: Deorſum verò ſi detrahatur cortex, tunc particulæ motum primigenium impreſſum amittunt, & juxta motum violenter inditum, etiam deorſum præcipitant humores videlicet per avlum: Et hæc eſt genuina cauſa hujus diverſi motus propter diverſitatem detractionis cauſati; quam tamdiu defendimus & etiam mordicus, quamdiu contrarium non probatum eſt. De herba *amorificæ*

*rifica* nihil aſſerimus, quoniam de ea experimenta non ad Sunt, neque etiam ab autore indicatur, qualisnam ſpecies plantarum fuerit, neque etiam Grammaticè ſtirps nota, indicetur *planta*, probetur eventus vel effectus experimentis, & cauſam ex corpuſcularis philoſophiæ Tripode reddere conabimur.

§. 42. N. *Jacobus Cornutus in hiſtoria Canadenſium plantarum* c: 44. p. 111. *Geranii* triſtis vocati meminit, cujus effluvia noctu ſolum ſuavitate inenarrabili nares feriunt, interdiu nullo, ut noſtræ heſperedes violæ noctis; in fluxum enim illucentis ſolis adeo *Geranium* hoc asſpernari dicit, ut integra die odorem neget, cum Lunæ acceſſu gratisſimo odore Muſchato, quaſi thure libet, qui odor intempeſtiva quoq; nocte ad auroram usque perſeverat ſtatimq; ſolis præſentia evaneſcit. Et Medicorum hujus noſtri ſeculi princeps *Thomas Bartholinus* in Actis Haffnienſibus mentionem facit alicujus plantæ nocte odoræ, de die verò inodoræ: hujus rei varii varias cauſas reddere conantur, præprimis Subtilisſimus ille Naturæ Myſta & Danus *Hermes Olaus Borrichius*, qui & omnium proximè ſcopum metamque ferit; nos etiam in hujus rei cauſam ſcrutinium inſtituimus, mentemque ante triennium communicavimus, quæ cum fortè ab Excellentisſimo *Thoma Bartholino* in quarto volumine Actorum referentur, quoniam *illuſtri* huic viro ſemel placuit nos Achivis Danorum Medicorum principibus præter meritum noſtrum adjungere, illo ſcrutinio hic ſuperſedere placet: ut tamen hic aliquid promamus: *planta illa de die inodora eſt*, quoniam lucis particulæ *primo* ipſius plantæ ſuccum alibilem digerere debent, hicque non ſpirat odorem, niſi debita digeſtio præceſſerit,

& par-

& particulæ calore ſint concoctæ. (2) *pori* hujus plantæ ſunt nimis anguſti, ut etiam per eos effluviis non detur ſufficiens exitus, ut tam ubertim effluere queant ad fragrantiam aliquam cauſandam, *noctu vero* odora eſt (1) quoniam tunc particulæ per lucis & coloris portiunculas habiles factæ ſunt ad edendum aliquem odorem (2) *pori* plantæ circa noctem, cum figura ſua exactis corpuſculis tenebrarum reſpondeant, magis & tam debitè ad ſufficientem effluxum effluviorum patent, unde odor poſſit oriri, aut fortè halitus hujus plantæ odoriferus poris lucis craſſior eſt, hinc etiam ſuum affectum die non edit: & cum majus ſpatium ſeſe diffundendi & dilatandi inveniat in poris tenebrarum, hinc etiam ſub earum regimine magis vim ſuam exſerit. Alii accuſant ejus ſalis nimiam volatilitatem, quod lux vel calor diei adhuc ulterius volatiliſet, ut etiam præ nimia ſubtilitate percipi non poſſit; Nox vero incraſſat pauloque magis figit, hinc odor circa noctem; Et hæc Ratio Magnorum virorum ſatis plauſibilis, ſed nobis non ſatisfacit, quippe dantur plantæ de die odoræ, quarum ſal æque diſſolubile & volatile eſt ac hujus plantæ, quæ circa tenebrarum Regimen omnem ſuum odorem decoxerunt; quem in ortu ſolis reaſſumunt. Et hæc ratio, quam nunc allaturi ſumus, fortè etiam Curioſo lectori ſatisfaciet, ſi dicatur *plantam* hanc eſſe *lunaticam*, hinc etiam circa Dominium lunæ ſuum odorem magis promit, quam ad ſolis præſentiam; poteſt hic ſtatui, quicquid placuerit, nos nulli propter diſſenſum in hoc puncto litem movebimus.

§. 43. *In Recenſu* admirandarum dotium plantarum pergimus, & eaſdem per *philoſophiam corpuſcularem* explicare

care annitimur: circa eas enim vegetabilium dotes genuinâ methodo eruendas requiritur diligentisſimum ſcrutinium, nil quicquam verò laude dignum præſtare licet ſi qualitatum attendamus Aſylum, nam qui hoc modo philoſophari vult, ille idem facit, ac aliquis Nauta qui *Ampliſſimum* Oceanum ingreditur ſine cognitione uſus pixidis Nauticæ & neceſſariorum requiſitorum ad tantam navigationem. Sed Relinquimus lubentisſimè his philoſophis ſua Bellaria, ac ſuperbiant circa corticem dum modo nos nucleo frui ſinant, & nos liberrimè philoſophantes ferant, nos herclè non invidemus iis ſiliquas, & nucum putamina (confer: §. 30. p. 58. & §. 34. pag. 69. §. 37. p. 77.) nos tam ſæpe qualitatum injicimus mentionem, ut tandem evellamus ex L. B. animo hos terminos. Quare non malè *Hobbes* c. 2. logicæ: p. 16. *Poſtremò fateor* inquit, *nec prædicamentorum uſum in philoſophia hactenus non magnum uſum perſpexiſſe*. Cepit opinor *Ariſtotelem* libido quædam pro authoritate ſua, cum *rerum non poſſet*, verborum tamen *cenſum* peragendi &c: Quæ verba *Hobbeſii* cum moderamine aliquo recipimus, ut tamen maneat aliquis prædicamentorum uſus, & poſſunt hic notari peccata in *exceſſu* & *defectu*, nobis arridet, *Medio* tutisſimus ibis &c. Aſtad rem: *Mirabilis* ſanè etiam eſt Herba, ob ſingularem oſſa emolliendi vim, Osſifraga dicta, cujus mentionem facit D. D. *Moelenbroccius* Vir Magni nominis ac de Republica noſtra Medica optimè Meritus in ſuo *Proemio* Cochelariæ Curioſæ præmiſſo ex Medicorum Danorum *Apolline* D. D. *Thoma Bartholino obſervat*. 38. *in Anno*. 1. *Ephemerid*: *Natur*: *Carioſ*: p. 125. 126. Ferunt ſi boves ea veſcantur, ipſos ad ambulandum ineptos fieri, ipſorumque

que oſſa adeo molleſcere, ut baculo quaſi circum volvi queat Animal, non tamen moriatur, ſed curari posſit, ſi ipſi alterius animalis hujus herbæ uſu perempti oſſa exhibeantur. V. B. *Sachſii Scholior*: in dictam obſervationem p. 126. & *Simon Pauli* Quadrip: Botanic: Claſſ. 4. p. 5. 24. *Jacob: Bontius* l: 5. Medic: indic: c. 33. meminit plantæ alterius ſemen ferentis inſtar hordei, ſed nigrius & hirſutius in *Machina* & continentis quibusdam Indiæ locis creſcentis, oſſa adeo firmantis & roborantis, ut ſi ejus ſucco ſolummodo dentes imbuantur, ſilicem in pollinem redigere posſint. In quadam Chinæ provincia fructus producitur, quem Chinenſes Peci appellant, hic ori cum cupri particula injectus, cuprum non ſolum ita emollit, ut dentibus facile frangi posſit, ſed & in optimam ſubſtantiam convertit, ut edi posſit. V. *Ephemerid*: *Erudit. Tom.* 2. p. 367. plantæ osſifragæ vim antehac Mercurio, qui forte illic locorum invenitur ejusque habitui acceptam retulerunt viri Magni nominis & ingentis meriti, ſed ni fallor poſteà Experientia conſtitit, illic nullum dari ☿, quare aliunde cauſa derivanda eſt: noſtra conjectura & hanc plantam oſſifragam habere Magneſiam attratendi halitus Mercuriales ex aere, & quamvis proprie in iis cavernis nullæ *Mercurii* venæ inveniantur, aer nihilominus, qui omnium rerum ſeminarium catholicum merito audit, habet in ſe innatum quendam *Mercurium* quem attrahit hæc planta, hinc vim oſſa emolliendi accipit: & ne hoc paradoxon videatur, quod dicimus aeri ſuum *Mercurium* ineſſe, audiamus hic *Cimbriæ* noſtræ Medicorum Apollinem D. D. *Joelem Langelottum* diſcurrentem in ſua perquam Erudita præfatione ad Experimenta *Tilemanniana*:

Et ſic

Et ſic confido, *inquit Magnus Vir*, eos tandem Mercurii hujus aerei virtutes, mirabilemque in ſolvendo facultatem ad plenum perſpecturos, adeoque experimento quoque noſtro iu auro facto eo majorem fidem habituros, quo magis ſe â ſeculo Magnorum iſtorum Doctorum lectione confirmatos ſentiunt, nullum aliud ſuave ſolvens præter iſtud in rerum natura dari: & paucis interjectis lineis: *Quandoquidem* Mercurius hic tantam cum corporibus ſublunatibus præprimis verò cum metallis & mineralibus ſympathiam habeat, utpote quibus primordia eſſendi, concreſcendi inque denſitatem coeundi dederit, nihil utique impedire quo minus rite vocatus attractusve corpora adeo ſibi cognata reviſat, iisque uniri & quaſi concorporari geſtiat. Sic quoque nihil obſtat, licet in terra nullus Mercurius, quin Mercurius *aereus* ab hac planta attractus eam facultatem mollificam huic plantæ imprimat: *Hoc enim notandum venit in plantarum Scrutinio non ſemper reſpiciendum eſſe ad terræ vel matricis indolem ex qua planta propullulat, ſed primo aer examinandus eſt, hic enim in ventre ſuo portat omnium rerum ſublunarium in triplici regno exiſtentium prima minima i. e. primordialia ſemina, & quamlibet rem naturalem nectare vivifico imbuit conſpergitque.* Id prolixè aſtruere poſſemus, ſi huc omnia trahare inſtituti ratio permitteret; Remitto Nobilisſimum Lectorem ad *Artis Noſtræ Hermeticæ Atlantem* D. D. *Joelem Langelottum*, ut videat quid in eadem Curioſisſima non minus quam Doctisſima præfatione De *Vitriolo* adaucto afferat; ſi quis huic *Mercurio particulas acidas* asſociare velit, ut & principiis *Alkali & Acidi* ſuus debitus conſtet honos, per nos licet; hoc tamen mordicus fovemus

mus placitum, iſtum Mercurium aeri ineſſe, inſtar ſpiritus vel ſubtiliſſimæ auræ; ſed poſſet aliquis regerere, quare ergo non omnes plantæ in eodem tractu fermento hoc Mercuriali ſpirituoſo inficiuntur; ℞ *Omnes* Res naturales ſublunares creſcunt vi Legis adraſteæ Magneſiæ, qua non aliud attrahunt quam quod ipſis homogeneum eſt pabulum, & quo cum intimam aliquam conſanguinitatem habent, ſicque in unum connubium conſpirant; ſi aliud fermentum accedit, ſecus fit: è contra quod *oſſa* hac oſſifraga herba perempti animalis exhibita curent iſtam flexibilem mollitiem, & hujus rei ratio inpromptu eſt; *oſſa enim illa vel trita vel uſta dautur, integra enim dari non poſſunt, tum ſal alkali, qui oſſibus ineſt, rurſum debitam duritiem oſſibus mollibus conciliat; iſte enim Spiritus Mercurialis mollificus partim per mortem animalis evanuit, partim, per tritum illum vel calcinationem oſſium ulterius expulſus eſt, expulſo eo ſal alkali iterum priſtinarum virium coagulandi indolem reaſſumit.* Herba dentes adeo indurans gaudet primo ente ſalis alkalici, quod ſe in poros oſſium inſerit, ac eos magis coarctat hinc illa durities, cum enim antea particulæ in oſſibus erant contiguæ, ab hac planta in contexturam magis continuam rediguntur; *è contra* planta Sinica *peci* dicta gaudet primis minimis Acidi Mercurialis & quoniam illa cum cupro ejusque ſpiritu Mercuriali quandam affinitatem habet, hinc illa prima minima acidi ſeſe inſerunt in poros cupri, & eos dilacerant, emolliuntque particulas duriores, inque maſſam maſticabilem convertunt. Sicque aliquot problemata beneficio corpuſcularis philoſophiæ reſolvimus, omnia vero magnorum virorum judicio ſubjicimus tenuitatis noſtræ conſcii

ac

ac probè recordantes iſtius in jure triti axiomatis :*Omnium habere* memoriam, & penitus in nullo peccare, divinitatis magis, quam mortalitatis eſt.

§. 44. *Nec hic* prætereunda eſt planta hæmogoga cujus Galen: l. 4. de purgat: Medic: facult: c: 4. meminit, quod ſolo contactu primo ſanguinem è venis per poros eliciat, deinde vitam profundat. Hanc quidem *Johannes Baptiſta Sylvaticus* & *Henric*: *Petræus* l. 1. Diſſ: Harmonic: 12. q. 5. p. 235. inter fabuloſas antiquitatis particulas referunt, ſed *Amat. Luſitan*, l. 2. de Medic. principi hiſt. 11. 184. eam ſtrenuè defendit ac ad rationes *Sylvatici* accurate reſpondet, atque *Borellus Cent. 4.* hiſtor. & obrariar. Medic. phyſic. 91. p. 347. refert De D. Laugerio Medico & Botanico incomparabili, quod hanc herbam reperiſſet circa Caterram, ibidemque narrat *Simeonem Cortaudum* eam offendiſſe, ejusque effectum cum ſtupore vidiſſe, cum enim ea femori ægri ſanguinei admota eſſet, ſanguinem undique rivulatim manaſſe, & ad Magnetem, ut ſiſteretur, recurrendum fuiſſe, deſcribitque eam, quod planta montana ſit, ac reperiatur inter Pyrenæos montes, & ab illis usque ad alpes, ac folia habeat inſtar *Salviæ*. Effectum Hujus herbæ *hæmagogæ* explicamus per vim Magneticam ſympathicam, qua ſanguinem allicit. Vide Nobiliſſ: D. D. *Moelenbroccium* Academ: Natur: Curioſ: Membrum ſplendidisſimum ac de ea optimè promeritum, dictum *Pegaſum*. Et memoratu dignum eſt, quod Cl: *Helmontius* de *perſicaria* ſcribit, ut ſi frigida ſaltem demergatur in aquam & ſuper vulnus aut ulcus aliquantiſper intepeſcat, mox cænoſo defodiatur loco, ubi putrere incipiat, etiam attrahere ex ægro, quic-

quid noxium erit in tract. de *Magnetic. vulne. curatione*: hujus rei cauſam quoque optimè explicamus per dictam vim Magneticam: verum quoniam vis Magneticæ hic & paulo poſt mentionem facimus, indicare operæ pretium eſt, nos per illam vim Magneticam non intelligere illud Magorum Aſylum, cujus prætextu quaslibet dæmoniacas operationes palliare & excuſare ſolent, ſed quatenus eam explicat philoſophia *Corpuſcularis*, quamque hodierna Medicorum Schola profitetur, & nos ſectamur, cujus primus inventor *Carteſius*, & poſt eum glaciem fregerunt *Henricus Regius*, & Novisſime illuſtris Vir *Anton le* Grand; *Eraſmus* Bartholinus Magnum Bartholinianæ ſtirpis Decus: *Wedelius jenenſis* Æſculapius &c. niſi enim ex hujus philoſophiæ corpuſcularis Tripode explicemus, idem eſt ac ſi dicamus eſt occulta qualitas, ſicque ad idem abſurdum & obſcurum revertimur, vel cum cane ad vomitum ignorantiæ.

§. 45. De Virgula Divinatrice, (Glück=Wunſchel oder Gold=Ruthe) Quæ eſt bifidus coryli ramus: nihil dicimus prolixè, poteſt hic videri inſtar omnium *Excellentisſimus* D. D. *Johannes Chriſtianus Frommann*: *Saxo-Coburgicus Æſculapius* incomparabilis in ſuo Doctisſimo opere De Faſcinatione l. 3. p. v. c. IV. p. 688. 689. 690. 691. 692. 693 694. 695. 696. 697. 698. &c. Et nos cum prælaudato Viro pro naturali effectu, rejectis & merito damnatis ſuperſtitioſis ritibus, habemus, & *Magni iſtius Viri* verba hic inſerimus: Sententiarum in eadem re diverſitas non ejusdem nullitatem, ſed obſcuritatem, autorumque in perveſtiganda eadem ſedulitatem arguit, quæ non Magiæ fulmine proſternenda, ſed benevolentiæ aura ſu-

ſcitanda.

ſcitanda. Variant ingenia, variat labor ac induſtria: Quot capita, tot ſenſus; cum in libera Republica philoſophi omnes degant, animi ſenſa, quivis libere aperit, eaque aliorum judicio limatiori ſubmittere non detrectat: propterea tamen error unius & alterius non poteſt præjudicare reliquis, ne dum rei ipſi. Facilis eſt in Experimentis lapſus, idque, quod per accidens adeſt, incautus non modo ut agens per ſe veneratur & aliis venditat: & ſi id, quod fortuitum eſt, ſemel atque iterum obvenit, confirmatior evadit in errore animi ſenſus. Hinc varius ſæpe circumſtantiarum apparatus, isque fictus, quod itidem rei ipſi, eique, qui per crebriora & Certiora experimenta circumſtantiarum apparatum maximam partem ſupervacaneum eſſe compertum tulit, nihil detrahere poteſt. Abuſus ab uſu diſtinguatur: Magica â naturalibus ſeparentur, ut ſua ſpecie virga virgo decenti omnium requiſitorum ornatu condecorata compareat. Nec ſi apud Magos ſit virgulæ hujus uſus, propterea viris Magiæ puris denegetur; niſi & aqua & igni iisdem, quia magis quoque communia ſunt, interdicere velimus: niſi & multa Medicamenta, quæ vetularum nugacitas ſuperſtitionibus magicis conſpurcavit, rejicere velimus. *Hactenus Coburgicus* Æſculapius, qui pro hujus virgulæ naturali cauſa d. l. Apologeticum ſermonem inſtituit. *Nos* hanc cauſam ex philoſophiæ corpuſcularis dictamine reddimus. Ille bifidus coryli ramus habet exhalantes particulas, quæ optimè conſentiant cum pororum particularum Metallicarum effluentium figura, hinc etiam inter ea datur appetitus Magneticus, hicque propriè nihil Magicum ineſt huic virgæ, præter iſtos ſuperſtitioſos ritus Magorum, qui cum

ſint

ſint errores & delicta artificum, non poſſunt idcirco Naturæ imputari, multò minus ejus admirandam vim infringere, vel Naturæ Majeſtati injuriam inferre

§. 46. *Natura* ſuo penicillo quoque miros luſus facit in vegetabilium familia: ſic in Radicibus *filicis* & *polypodii* accuratam effigiem *Aquilæ depingit*; & quoniam inſignia imperii Romani *Aquilam* repræſentant, nonnulli exinde conjiciunt tam latè olim Romanum imperium patuiſſe, quod an verum ſit dijudicent politici: nobis non fit veroſimile: cum hæc radix quoque inveniatur in *Suedia*, hæc autem nunquam Romanum imperatorem agnovit teſte Nobiliſſ: *Loccenio* in Hiſtoria Suecica: ut & in aliis locis creſcit quæ ad imperii Romani ſceptrum nunquam pertinuerunt: & quousque Romanum imperium olim fuerit dilatatum videri poteſt ex aureo tactatu Magni *Conringii de finibus Romani Imperii*, ſed de eo hic dicere non eſt noſtri inſtituti Ratio, fiet alias. An vero usque ſeſe amplificabit Romanum Imperium, non definiemus, hactenus enim ejus incrementum non fuit adeo Auguſtum, ſi imperium jus Reſtitutionis in integrum urgeret. l. 3. c. *de jur Reipublic*: H. *Piſtor* c. q. 37. N. 56. & initium fieret â ficta donatione *Conſtatini Magni*, quam ipſi pontificii ſaniores nunc rident, non adducemus quid *Æneas Sylvius* Papa Pius v. de ea ſcripſerit, poſſet tam latè ſucceſſivè extendi, quam late creſcit radix filicis *Aquilæ* inſignibus ſigillata, ſed ne extra oleas aut propoſiti cancellos. Præſtat enim heic audire ex profeſſo de R. I. Republ. diſcurrentes, nonnemo ex hoc Splendisſimo virorum illuſtrium Collegio doctisſima quædam meditatur, quæ ſi lucem aſpiciant, maximi erunt pretii, D. T. O. M. hujus

Maximi

Maximè Eximii viri laboribus ſuccurrat, quemq; etiam veneramur! interim tamen hoc monemus *huic argumento plus roboris fortè ineſſe poſſet, quam illorum, quo ex linguarum dialectis populum hunc vel illum huic vel illi imperio ſubjectum eſſe vel fuiſſe autumant, quippe omnibus ſeculis pasſim terrarum diverſæ linguæ variorumque morum homines in unam tamen Rempublicam coierunt*: Sic in *Dioſcuriadem* Colchidis, *Timophenes* trecentas nationes, quæ disſimilibus linguis utebantur, deſcendiſſe prodidit: & poſtea â Romanis centum triginta interpretibus negotia ibi geſta, Vide *Plini*: l. *6.* c. *5.* diffiteri verò nolumus *Aquilam* in iſtis radicibus depictam nobis videri aliquem characterem Naturæ hyeroglyphicum inſignia Romani imperii denotantem, quid vero arcani ſubſit, aliis divinandum reliquimus qui gloriam quærunt in hoc ſtudii genere, & ſi modo non fabuloſa & ſuperſtititioſa adducant, laudamus illorum conatum; *Admirationem* etiam Merentur orchidum quædam ſpecies, apum, aranearum, muſcarum, papilionum, avium, & hominum formas ita repræſentantes, ut nullum membrum in hiſce inſectis, avibus & hominibus ſit, quod natura in ejusmodi plantis non exprimat, imo integram in floribus humani corporis ſtructuram ſub utriusque ſexu architectata ſit. A. V. *Athanaſ. Kirch.* l. 12. de Mundo ſubterraneo ſect. 1. c. 9. 1. 348. & D. D. *Martinus Bernhardi* â *Bernitz* obſerv. quæ 41. eſt Tomo 2 Miſcell. Curioſ: p. 73. *Riſtius* Poetarum Germanorum *Virgilius* in Mertzen unterredung p. 220. Refert: fůretliche wenig Jharen ward eine Blume im Korn zwiſchen Hamburg und Altenah gefunden / welche ſo natůrlich ein Weibes Haupt mitt einer Holſteiniſchen Můtzen oder Hůllen abbildete / daß man ſich zum

höchſten daruber muſte verwundern. *Aſt multa*, ut ait *Plinius* l. 2. c. 96. *ſunt in naturæ Majeſtate penitus abdita*, quis rationem dabit? quis verò ſi dari nequit (inquit Clariſſ. *Frommannus* d. l. p. 243.) ad ſuperſtitioſas & Magas obſervationes ea referat &c! aut pro fabuloſis proclamet.

§. 47. *Ultimo omnino non eſt de nihilo Aſtra, Aſtrorumque* ſeduló ſcrutari influentias, hæc enim omnino vim ſuam exſerunt in hoc ſublunarium ſyſtema, & ne nimis id prolixè aſſeramus, de aſtrorum viribus quid ſentiendum ſit, & quod certisſimè influant; multo minus adducemus quomodo hic nonnulli vel in exceſſu nimium tribuendo *aſtris*, vel in defectu & iis debitas vires detrahendo peccent; *foret id extra propoſiti Cancellos, intra quorum ambitum nos libenter Coarctamus, ne aliena inſeramus, ſi id fortè à nobis videatur factum, illud diſcurſus ratio ita exigit;* Fuit & apud veteres judæos ſapientes hoc dogma receptisſimum, Et plurimum Maximè Reverendus Dn. D. *Friedlibius* in recenſu dogmatum phariſaicorum hoc quoque ponit. *Aſtra non quidem* cogere ſenſiſſe, ſed tamen juvare homines, hinc *nullam eſſe creaturam, quæ ſuum ſydus* in cœlo non habeat. Quod idem illud vetus *axioma Cabaliſticum* docet: *Non eſſe herbam* inferius, quæ non habeat ſtellam ſuam ſuperius, quæ illi dicat. *CRESCE: ROBUR AFFLA* Homini: *ALIMENTUM* ſuppedita homini. Et ne nunc alia adducantur, Notum eſt, quomodo quidem flores ſeſe ad ſolis curſum flectant, ita ut & hinc *ſoliſequi* dici videantur: Exinde quomodo illa plantarum diviſio, quod alia *ſolares, lunares, venerae, joviales, Mercuriales, Saturninæ, Martiales,* quæ omnes ſingularem habent affinitatem cum iſtis ſideribus. Et hæc ſidera variis virtutibus im-

prægnant

prægnant plantas, quodlibet ſidus in cœlo cum ſua planta in terris mirabilem habet ſympathiam, ſtellarumque influxus planta velut per pyramidem ſuſcipit. In cœlo Baſis eſt, in planta conus. Ex hujus Sympathiæ Siderum cum plantis cognitione accurata ipſæ ſignaturæ ſunt depromendæ. Quare utique ad philoſophiam Botanicam comparandam multum conferet diligentisſimum ſcrutinium circa influentias aſtrorum inſtitutum; itaque ſcientia Aſtronomiæ non minimum requiſitum eſt artis Medicæ; Hujusque necesſitatem multi & docuerunt, loco omnium videri poteſt Celeb. *Hoffmanni Medendi Methodus*. Dantur morbi aſtrales, hinc indubium etiam dantur remedia aſtralia, quæ hiſce morbis contrariantur, ea autem aliunde deſumi non poſſunt, quam ex rerum ſublunarium triplici familia, ad id beneficium homini præſtandum plantarum regnum ſuas quoque dotes ab aſtris impresſas confert. Sed forte dicet aliquis, quod ſi plantæ ita ſideribus tribuendæ, tunc neceſſario quædam ſunt, quæ non posſint uſurpari, E G. *Saturninæ*, iſtæ procul dubio erunt venenatæ ℞ *Sua natura* nulla planta datur venenata, *Napellus* & *Aconitum* annumerantur plantis venenatisſimis, non autem ſunt tales natura ſua, ſed noſtra ignorantia. Ex *Napello* poſſe parari remedium præſentisſimum contra *Apoplexiam*, & annumeratur antiſpasmodicis ſpecificis. *Mirum etiam* eſt, inquit inſignisſimus *Hoffmannus* l. 1. M. M. cxix. p. 288. *Mandragoram*, *Napellum*, & uvam inverſam, venenata cum ſint, ſalutaria huic malo remedia eſſe. Sic & de *Napello* referunt, ejus flores â *Polonis* in acetariis absque ulla noxa aſſumi teſte D. D. *Ferdinand.* Herdot: in ſuæ crocolog: appendice. *Sic Aconitum* omnium

 veneno-

venenorum ocysſimum eſt, hoc tamen Scorpionum ictibus Medetur; *illius* hæc natura eſt, ut hominem *interimat* (verba illa mutuamur Ex Nobiliſſ. *Tilingio* Noſtræ Academ: curioſor: Collega *Zephyro* dicto meritiſſ: Amico noſtro honoratisſimo in ſua perdocta præfatione opio præmiſſa) niſi inveniat in homine, quod perimat, mirumque exitialia venena ambo cum ſint, ambo in homine commori, ut homo ſit ſuperſtes: *Quemadmodum* verò omnia flumina redeunt ad mare, ex quo oriuntur, quæ directè, apertè & immediatè, quædam indirectè, occultè, mediatè: ſic etiam plantæ propter hominem conditæ, quædam directè cedunt in hominis cibum; ut *olera, lactuca, pyra, mala*, quædam indirectè, ut venenatæ herbæ, quæ quamvis ſint noxiæ reſpectu complexionis humanæ, ſua natura tamen & reſpectu aliorum animalium tales non ſunt, ſed maximè proficuæ eſſe poſſunt. *Hactenus* ille *Academiæ Rinteliensis* Medicorum Apollo, & Noſtræ Curioſorum Societatis *incomparabile delitium*. Diximus ſtatim in principio hujus operis hominem eſſe Centrum univerſi, (§. 3. p. 3.) nunc in ejus commodum profluunt res creatæ *vel via recta*, vel *obliquis ambagibus*, quæ via recta ſunt communia eſculenta; & Medicamenta obliquis ambagibus, qualia ſunt vulgo dicta *Venena*; & hæc ipſa ſatis prono alvo viaque recta in hominis uſum influunt, ſed Noſtra ignorantia ipſis *obices* poſuit, quos qui nunc removere ſciunt, illis via recta in *devotum obſequium* vulgo dicta *venena* accedunt; Et id eſt, quod dicamus *ſua natura* non dantur *humanæ vitæ* deſtructitiva, ſed ſaltem *ignorantia* vel *incuria* noſtra ſunt talia: Fruſtra ergo veremur *Saturninas* plantas. Nos hoc fovemus placitum de

venenis

venenis ea eſſe cortices, qui includunt Medicum *nucleum*, & quanto vehementius venenum videatur tanto meliorem *nucleum* medicum vel *Alexipharmacum* recondit: Titillent ſe ſcioli in Exoticis, Nos ex illorum *rejectaneis* venenis dictis *Alexipharmaca* paramus, Et in uſum adhibere non veremur, ſi officinalia ad manus non ſint ſed officinalium uſum præprimis tamdiu retinemus, donec illa experientiæ fide ſint probata, quæ ex venenis parantur, in hominibus non temerè quid Experiendum, ſed quæ omnium confesſione probata ſunt; neq; nos iis invidemus imaginariam eorum eruditionem, & ſpirituum vim Elaſticam dulcisſimum illud figmentum; dum nobis noſtra Circa utiliora occupata ſtudia non traducant: Et hoc circa *aſtrorum* influentias ſtudium multum confert ad philoſophiam Botanicam comparandam; ſicque putamus aſtrorum influentiarum ſcrutinium non neglectim habendum, ſi quis cognitionem philoſophiæ Botanicæ ſibi comparare geſtiat: Narrabimus loco coronidis hujus diſtinctionis ex *plinio* de *Heliotropio*, ut ait Plinius, porracei coloris, ſanguineis venis diſtinguitur, extra aquam ſpeculi modo ſolem accipit; ſi dejiciatur in vas, ut habet *Marbodeus*.

*Sanguineum reddit mutato lumine ſolem*
*Ecclipſimque novam terris affundere cogit.*

Denique eam ipſam aquam in nebulam & imbrem reſolvit, &.

——— ——— *Poſt modicum vas ebullire videbis*
*Asſpergique foras ſubita ſcaturiginis imbrem.*

*Pulchra* ſunt, quæ plurimum Reverendus Dominus *Urſinus* in ſua *Theologia Symbolica* Symbol: CLXXIV p. 193. 194. m. meditatur. *Sunt verò* adhuc *alia* media perveniendi ad

philoſophiam Botanicam, quæ alias adducentur. Sed antequam hunc diſcurſum claudamus, contra ea quæ de plantis venenatis diximus, aliquis poſſet opponere *Elleborum*. Qua de planta traditur, *conſtare* partibus quibusdam humanæ naturæ inimicis, & maleficis, quibusdam amicis & beneficis, quæ morborum curatrix eſt, adjuvat ad mentem in priſtinum reſtituendam, ſicut aliis eandem infeſtat, ut mentis læſioni, quam ipſe illorum partium malitia affert, proſpicere nequeat, ergo verum eſt dari plantas verè venenatas, quamvis quid bonæ indolis posſident. ℞ Ex *Johanne Baptiſta Sitono* Medico Mediolanenſi Miſcell. Medic: Curioſ: Tract: xxv. p. 126. *Helloborus* etiam, inquit, quivis ſit ille unius eſt naturæ, iisdemque ſemper humanum corpus reſpicit, & alterat facultatibus: inſipientes tamen, & ſapientes facit homines non quidem abſolutè, ſed dementià laborantes ad Sanitatem traducit, ſanos verò ad inſipientiam, cujus potisſimam dicimus rationem, quia proprium illi, cum ſit humores, & bilem atram præcipuè vacuare vehementer & dementibus exhibitus inſignem atræ bilis, quæ in illis eſt, & mentis alienationem facit, & foret, ille educit, & homines remota cauſa â morbo, & inſipientià liberat, ſanis autem propinatus, cum peccantes humores, bilemque atram non inveniat, quam cum juvamento educat, ſpiritus & humores bonos corporis manutentioni, & mentis tutelæ neceſſarios agitat, & cum nocumentum evacuat. Si quidem illis deficientibus, debilitatur corpus, & cerebrum principaliter, ita quod ſolitis cum ratione fungi officiis & animæ imperio ritè parere nequeat. Hactenus *Sitonus*. Hicque Vir Celeberrimus juxta *Galenicorum* Scholæ

placita

placita eruditè ſolvit hunc nodum, & quamvis ex corpuſculari philoſophia paulò aliter inſtantiam hanc ſolvere liceret, aquieſcimus tamen in *Sitoni* reſponſo. Tum præterea ſciendum eſt, illud univerſaliter de Ellobero dici nequit, nam quod uni venenum eſt, hoc alteri Alexipharmacum. *Araneæ* ſunt venenum, tamen innoxiè nonnulli veſcuntur. *Muliebris Sexus* placet communiter hominibus maribus, & præſertim virgiues delitiæ ſunt, cuidam tamen militi, ut narrat ſine præfamine honoris nunquam nominandus Celeberrimus D. D. *Joel Langelott* fuerunt horrori, ita ut virginum præſentiam ferre ſine animi angore nequiverit. Quare noſtro arbitratu nullum propriè dictum venenum datur; ſed omne *ens bonum* naturâ. Sic & inanis timor eſt de plantis *Saturni* Regimini *ſubjectis*, aut de Vulgò dictis venenis, quæ ſunt Alexipharmaca.

§. 48. *Si philoſophiam Botanicam* quis ſibi comparare velit, ille ſequentes aſſertiones etiam minimè diſputabit: (1) *plantas vivere* vitam communem, & ſuo modo quoque ſentire aſſeret: ita tamen ut diſtinguamus inter vitam *animalem* & *vegetabilem*, ſuo tamen ſenſu & animalia dici queunt: *inſunt plantis radices*, inquit *Campanella* Cap. IX. Artic. II. quaſi *ora*, *caudex* ut venter, rami ut brachia, frondes ut pili, cortex ut *Corium*, ac intus inſunt fibræ nervique plurimi pleni ſpiritu, ac venæ plenæ ſucco, earum ſanguine, ac dein interius os durum plenum medulla, qua nutritur; &c. *ex qua nervorum filamenta per totum corpus plantæ diſperguntur, non ſecus ut in animalibus aliquo venarum & arteriarum ſyſtemate gaudent:* Sentiunt ac vegetant plantæ, (ait *Thobias Adami* dicti *Campanellæ* Scholiaſtes) cum ſeparent utile nutrimentum â disſimili, & ſugant

& ſugant quod illas delectat: lætanturq; pluvià poſt æſtum attolendo comas, & revirendo: habent amicitiam mutuam: marem & fæminam ipſarum quædam: patiuntur Apoſtemata & vermes ſicut animalia &c: *Earumque analiſis vergit in propullulaginem verminoſam.* Nulla verò vermium geneſis, niſi in rebus ſentientibus. Hocque aſſertum ſequentes hiſtoriæ verificabunt (quæ revera nobis non ſunt fabulæ). *Naſcitur* in Judæa Radix *Baharas* à loco appellata, quæ, referente Joſepho de bello judaico, colore flammam imitatur, circa veſperam veluti jubar fulgurans, accedentem & evellere cupientem tamdiu refugit nec prius fugere deſinit, quàm urina muliebri aut monſtruo ſanguine conſperſa fuerit: Sed cum forte illa juxta nonnullorum mentem judaicam nugacitatem redoleat; alia exempla afferemus, *Alia* in noſtris regionibus circa loca humentia & irrigua creſcens, *Bauhino Balſaminæ* ſpecies eſt, nonnullis perſicaria ſiliquoſa dicta, ſtatim ac tangitur ſemen ejus ex ſiliquis maturis leniter tangentis manus & faciem ferit, ac ob id herba impatiens & nolime tangere vocatur. Hoc ego ſæpius, inquit, Celeberrimus Noſtræ Academiæ Curioſorum *Pegaſus*, prope Lipſiam non procul ab hortis olitoriis (Kohl-Garten) in quibus provenit, obſervavi, quando ſtudio herbas legendi & hanc collegi. Convenit cum hac herba viva, cujus meminit *Simon Pauli* Claſſ. 3. *Quadrip: Botanic:* p: 301. omnem effugiens tactum, quam etiam hic autor ſe contrahere vidit ad ſubſilientis bufonis attactum. Hæc ſi apprehenſa ſit, adeo marcida conſpicitur, ut plane ſicca æſtimetur, ſi autem quis manum retrahat, illico nitorem recuperat, imo ut *Bauhinus* l: 10. pinac. ſect. 2. p: 359. loquitur, toties

ties marceſcit, aut revireſcit, quoties comprehenditur, aut manus ab ea retrahitur. Jam citatus *Simon Pauli* ibidem & aliam memorat, quam Mimoſam vocat, & ægrè ferentem ſe tangi quidem, ſed non adeo celeriter nec contrahere neque iterum explicare folia attacta citra eorum interitum. *Bauhin* c. L. p. 360. ſcribit, eam colore & ſapore Glycyrrhizæ eſſe & multis notis cum fæno græco ſylveſtri Tragi convenire. De *Filice Indica* idem *Simon Pauli* c. 1. narrat tangi quidem ſe ſufferre, ſed viduari poſtmodum foliis, quippe quæ ceu gangræna correpta inter moriantur. In Inſula Cambabon Arbor & foliis Mori multum ſimilibus, parte utraque binos pedes breves & acutos habens, quæ ubi tanguntur diffugiunt. *Bauhin*: l. 12. pinace ſect; 6. p. 512. *Theophraſt*: l: 4. hiſt: 3. meminit cujusdam arboris circa Memphim naſcentis, quæ non foliis vel ramis vel tota forma peculiare quid ſit ſortita, ſed eventu, facies enim ejus ſpinoſa folium filicibus non abſimile: ſed cum ramulos quiſpiam contigerit, folia veluti areſcentia & langueſcentia contrahi, ajunt, deinde paulo poſt ad vitam redire. Naſcitur in Peru planta, cujus folia, referente *Franciſco Lopez* contracta ſiccantur. *Borellus* cent: 1. hiſt: & obſ: rariar: Medico-phyſic: 100. p: 98. de planta ſenſitiva â ſe inventa ita ſcribit: Gloriari poſſum me primum motum percepiſſe in plantæ ſatis cognitæ flore, quam nominabo, ne mihi debitam gloriam alter ſibi arripiat, quod ſæpe mihi accidit &c & paulo poſt: *Jaceæ* Aromaticæ flores, dum in ſtatu & vigore ſunt, & dum flos quaſi farinaceus in eis percipitur ſi minima herbula tangantur, pappos contrahunt, imo pars ſiniſtra contrahetur contractu dextræ &

 econtra,

econtra: ſed in hac actione in eodem flore non repetenda ſedulitas & perſpicuitas requiruntur. Idem ferè faciunt jaceæ & Cardui quidam pratenſes, quare non dubito, quin multas tales plantæ reperiri poſſe ſi fieret curioſa illius rei inquiſitio; imo ſenſum quendam obſcurum omnibus plantis ineſſe, in unà obſcuriorem tamen quam in alia, pro certo aſſevero. Hæc *Experientiſſ.* D. D. *Moellenbroccius* ex *Borello* & aliis: in hujus aſſerti probationem hæc ex *Fancisco Redo* apponimus. Interim verum eſt, inquit p. 258. de *Generat: inſector*, plantas aliorum animalium inſtar nutriri, creſcere, ſemenque pariter ſuum & fructum producere; nec non anxiè ſolem, & apertum ſerenumque aerem quærere, & quo poſſunt meliore modo umbras noxias fugere (addimus, tum etiam inter ſe capitale odium, cum quibusdam vel inclinationem naturalem ad alia habere, E. g. vitis, braſſica; oleæ & ficus &c) ac motu inviſibili illas mutare: *Et quis ſcit, ſi non usque adeo altè in terris radicatæ eſſent, & pedes organaque vocis haberent, annon vitaturæ lædentem & læſæ lamentis & verſibus dolorem ſuum teſtaturæ eſſent* ſubjicit *Celeberrimus Vir:* Hac occaſione mihi redit in mentem, me cum Menſe Martio *Liburni* eſſem, pomum quoddam, vel fructum quendam in fiſſuris ſcopulorum radicatum vidiſſe, magnitudine & figura malum aurantium commune referentem, ejusdem quo fungi porcini coloris ſed à piſcatoribus fungi marini nomine vocatum: hunc ſublatum, cum internam ejusdem figuram videre deſiderarem, vix admoto cultello pungere & ſecare cœpi, cum ad quamvis minimam ſectionem corrugando ſeſe & contrahendo, manifeſtisſima motus & ſenſus indicia mihi exhibuit. *Et ſic revera vitam*

*tam communem & aliquem ſenſum, vel ſenſui quid analogon plantis tribuimus*; (2) *plantæ* vires ſuas magis *aeri* quam terræ vel aquæ debent. Provocamus ad ſtirpes in antiquisſimorum murorum ruderibus altisſimis excreſcentes: ſic nos vidimus *ſambucum* in muro altisſimo cujusdam templi in ſatis magnam arborem excreviſſe, quotannis florere, baccas edere, & eas in illa arbore maturari; non ſecus ac in aliis. Ex hoc rurſum *Achillæum* necti poteſt argumentum contra *Carteſianos* presſionisque defenſores, quænam presſio heic in iſtis murorum ruderibus ſaxeis, in quibus radicantur plantæ. Et quid denique dicent ad id presſionis patroni ſi evellatur planta ex loco nativo etiam ſine omni radicum jactura, ſtatimque reponatur poſt breve temporis ſpatium (NB.) tamen non creſcit, quod hic presſionem terræ ſufflaminat, quid hic ſucci ingreſſum prohibet, *pori* in telluere, *pori* in planta patent, ſi hæc argumenta jungantur iis, quæ ſuperius attulimus contra presſionem, facillimè & cuilibet ſaltem mediocri ſcientia philoſophiæ imbuto hujus placiti nullitas patet. *Quare in omnibus tandem* (ut rectè inquit *CAMPANELLA*, a, l.) *invenitur mirabilis ratio ac ordo naſcendi, vivendique à prima ſapientia inditus: item diſcretio nutrimenti proficui à nocivo, hilaritas adveniente pluvia poſt æſtum, ſympathia & antipathia mutua, & cum cæteris mundi rebus etiam cæleſtibus* &c. confer (§. 31. 32. p. 60, 61, 62, 63. I. 2.) Urgemus merito hic aliquam attractionem ſucci alibilis in plantis, & presſionem refutamus, cum poſterior ſententia Carteſianorum aliquot inbecillitatibus laboret. Nam ſi presſio hic aliquem locum ſortiretur, tunc vegetabilia maximam partem perficerentur in iſta catholica omnium

ſuccorum fermentatione, quæ in principio verni temporis contingit: eo enim tempore, quando ſucci vegetabilium in orgaſmum aliquem aguntur, telluris globus magis juſto intumeſcit, ut tumidior omnino ſit: peracto iſto orgaſmo univerſali rurſum terra ſubſidet, ac tum demum facultates languidæ vegetabilium calore ſolis vivifico excitantur, ut quodlibet vegetabile attrahat, quod ipſi homogeneum, vide, §. 43. p. 92. quamvis lubenter concedamus tempore hyemali terram arctius ſpatium occupare & arctius conſtringi frigore videlicet, pori enim tunc conſtringuntur, æſtate vero magis extendi propter pororum laxitatem, hinc tamen nulla preſſio inferri poteſt, ſed ſaltem orgaſmum præſupponit. Etc. (3) *Plantarum* ut & omnium rerum ſublunarium datur una Materia Catholica. (4) *Plantæ* ut & aliæ res naturales nulla forma ſubſtantiali gaudent ſed ſaltem modaliter differunt. Etc. plura aſſerta alibi adducemus in ipſa anatome plantarum.

§ 49. *Præcedenti plantis* vitam aliquam tribuimus rationibus graviſſimis moti: Hoc noſtrum aſſertum & aliquod robur nanciſci videtur per fermentationum motus. Quibus ter quotannis *Vina* efferveſcunt, (ut de aliis ſpeciebus nunc nihil dicamus;) *Quamquam* autem nullum, *Sunt verba* Celebrrimi D. D. *Kergeri*, (quo adhuc nemo felicius & accuratius fermentationis negotium proſecutus, ſi abſtinuiſſet terminis quibusdam peripateticorum Scholæ uſitatis merè logicis) certũ tempus datur, quo vina neceſſario efferveſcant, ſi quidem vina novella penè toto anno primo vix â Fermentatione liberantur, alia vero annotina, omni tempore Fermentationis paroxyſmo affici poſſint: attamen tria primaria de anno ſunt intervalla,

valla; quibus vina nondum defæcata, etſi de prima fæce dempta, Fermentationis ratione periclitantur, vernum nimirum, cum *ſuccus novus* vitem ingreditur, ut lachrymas ſtillet, deinde cum floribus ſuaveolentibus ſuperbit, tertio, cum *Sirius*, calore & exuſtione infamis oritur (*Fermenti & Fermentationis* quoque mentionem fecimus in *Noſtro Scrutinio Nigredinis Æthiopum* ante hoc opuſculum hic Kiliæ *exſcripto* §. XVII) Huc referendum cenſeo (inquit prælaudatus *Kergerus*) quod vitibus florentibus vino quies non eſt in ſecuro: quippe quaſi accepto fermento ex miasmatis florentium vitium fervere occipiunt, ni præcavetur; & quod maximè mirum, non duntaxat è longinquo, ſed & quodlibet vinum miasmata & effluvia ſui generis, quaſi Symbolo quodam dignoſcit, uti obſervavit Vir utraque Minerva *Clariſſimus Kenelmus Digbæus* Reginæ Anglicæ Cancellarius in ſuo Erudito de ſympathia diſcurſu. p. 92. In Engelandt/ inquit, haben wir nicht Reben genug umb Wein zu Kelteren/ da nimpt mann ſolches doch (quod florentibus vitibus vinum turbetur) und noch etwas abſonderlich in acht. Ob man zwar kein Weinleſe oder Herbſt bey uns hatt/ haben wir doch dieſen in groſer Menge/ welcher uns von auſſen zugeführet wird/ und abſonderlich von dreien unterſchiedlichen Orten: als aus *Canarien*, *Spanien* und *Gaſconien*. dieſe Länder ſind von unterſchiedenen Orten deß Himmels und graden der Breite nach gelegen/ und folgungweiſe einer hitziger alß der ander/ und da die Gewachſe eins eher als das ander blühen/ ſo ſpüren wir/ daß alhie die unterſchiedene Weine einer eher oder ſpäter als der ander aufſtoſet/ nach dem die Reben in den Landen/ daraus ſi kommen/ ſpäter oder eher blühen/ denn dieſes iſt der vernunfft gemäß/ daß ein jeder Wein lieber

ſeins Weinberges Geiſterlein/da er her kommet/als andere/anzie-
het. D. D. *Thomas Bartholinus* ille Medicorum Phoſphorus & Maximus Naturæ Bibliothecarius, Patronus; Amicus, Compater Honoratisſimus & hanc vinorum fermentationem admittit: Hujus rei cauſam acceptam referimus (1) *non atomis* juxta Magnum Dygbæum, (2) non occultis qualitatibus, ut quibus ſæpius rogum ſtruximus in hoc opuſculo (§. 43. p. 89) ſed *univerſalisſimo ſenſorio* quo vegetabilia vegetabilibus reſpondent, & ſic ſibi invicem, pasſionem ſuam vel actionem communicant. De quo univerſalisſimo rerum *ſenſorio* quædam diximus ex profeſſo in *Noſtro Scrutinio* unguenti Armarii propediem publicando: ante annum enim omnino conſcriptum, quo L. B. remittimus. Clariſſ. D. D. I. *Grube* in ſua *Analiſi* de *Transplantione* Morbor: Cap. III. Sect. I. p. 28. 29. 30. 31. cum viro *Martino Scoockio* naturæ Conſultiſſ. l. de Ferment. C. XXXII. & XXXIII. contra tot Magnorum virorum experientiam negat. Verum hæc Magnorum Biga pugnat potius contra cauſam ab atomis derivatam; verum ſi nobiſcum prærogativà veritatis aliquem mundi univerſalem *Archæum*, ſicque conſequenter univerſalisſimum ſenſorium ſtatuerent, mitius fortè ſentirent de hac vinorum fermentatione Sed abundent ſuo ſenſui pro nobis experientia.

§. 50. *Denique noſtro aſſerto* facem præfert, novamque lampadem accendit nunquam ſine præfamine honoris nominandus Celeb: D. D. *Wirdig.* in ſuo Eruditiſſ: opere de ſpirituum Medicina l: II. C. X. §. 5. pag: 109. 110. Ita de circulatione ſuccorum diſcurrens (fatemur nos antea in ſuccorum circulationem conſentire non potuisſe, ſed hujus Magni Viri verbis moti hanc ſententiam

nunc

nunc ampleɛtimur) *Et ſi rem*, inquit, accuratius perpendamus, ipſa forſan, imò ſine omni dubio vegetabilia ſanguines ſuos cum ſpiritibus, ſive ſuccos vegetabiles ad normam, & exemplum, animalium per radicem, caulem, ramos, petiolos, folia, fibras rotant, & circulant. (1) *Quia* ſine circulatione ſucci earum alimentarii merè aquei in ſpiritus rectificari & exaltari neutiqnam poſſent. (2) *Quia* ſine circulatione & præcedente rectificatione flores & fructus non maturantur, qui Spiritus defæcatisſimos requirunt, quæ defæcatio ſine præcedente rectificatione & circulatione perfici non poteſt. (3) *Quia* in vere, ex betulis, vitium racemis vulneratis exſtillat, interdum quaſi proſilit & in magna quantitate ſine marceſcentia aut ſtirpis exſtinctione colligitur liquor & ſynovia, quæ haut obſcurè docet & vegetabilium ſuccos & ſanguines per frutices & ſtirpes circulari & in orbem rotari, qui motus unicum remedium eſt, quo ſucci vegetabilium alimentarii, aquei in Spirituum tandem naturas, ordinem, dignitatem, & vires exaltantur. Nemo felicius hoc Excellentsiſimo Philoſopho & Medico de circulatione ſucci in vegetabilibus diſſeruit. De *Circulatione* Sanguinis quoque quædam diximus in *Noſtro Æthiopum* Nigredinis Scrutinio (§. 1.) Quædam enim illic in ſanguinis Euripo deſideramus, quæ cum noſtrum ſeculum non animadvertat, fortè futurum animadvertet: *Helmontius* habet locum & experimentum aliquod, quod ſi hoc accuratè examinemus ad Euripum ſanguinis, totum cadit aſſertum de *circulatione* ſanguinis, verum tamen ita, ut ex ſuis cineribus nova reſurgat lucis Phænix artem noſtram majoribus radiis illuſtratura &c. Eodem modo etiam circulationem

ſucco-

ſuccorum in vegetabilibus ſuſcipimus. Et Tantum pro aſſertione *vitæ vegetabilium* afferre in medium placuit.

§ 51. *Ut de autoribus quoque aliquid loquamur, Hanc vero* philoſophiam plantarum paucisſimi proſecuti ſunt, & quidem procul dubio ob inſignem difficultatem; utpotè cum opus ſit ingenio & doctrina & induſtria maxima ad eam conſeqnendam. Tradunt nonnulli Ariſtotelem hanc plantarum philoſophiam fuiſſe proſecutum; & verò exſtant hodieque libri duo de plantis Ariſtotelis nomine: ſed indignos eſſe eos tanto ſcriptore, quin imo ex Arabico primum in Latinum verſos, Ex Latino Græcos factos rectisſimè judicavit admirandus Vir *Julius Cæſar Scaliger.* Sed ſit quid ſit, fatendum nihilominus in libris iſtis multa reperiri philoſophi ingenio dignisſima: quapropter philoſophiam hanc affectanti profuerit horum lectio, ſed addito inſigni commentario ejus, quem ante laudavimus, *Scaligeri.* Ex ipſis porro genuinis Ariſtotelis operibus licet multa petere ſparſim dicta, quæ philoſophiam hanc mirificè illuſtrant. Quin & congesſit hæc in unum, ſuoque operi, cui titulus VERA MENS Ariſtotelis, inſeruit *Felix Accorombanus* Medicus Romanus; Ariſtotelem verò ipſum in hoc ſuperavit *Theophraſtus Ereſius,* Diſcipulus pariter & in Scholam ſucceſſor, exſtant hodieque Maximi illius viri hiſtoria plantarum, & alii de plantarum cauſis libri; ſcriptum quidem utrumque admirabili eruditione refertum eſt, id dolendum quod tam lacera & multis modis mendoſa ad nos omnia illa devenerint, Sed & qui vertit in latinum *Theodorus Gaza* Elegantiæ Latini ſermonis videtur peritior fuiſſe qnam plantarum, Itaque in plurimis, tum propter hanc, tum alias ob cauſas

mentem

mentem Theophraſti minus feliciter expresſit, quin & haud parum tenebrarum offundit lectoribus dividendo opus in capita & ſingulis capitibus ſummaria præfigendo, utpote quum ſæpe ſecta ſint, quæ conjungi maximè debent, conjuncta, quæ erant ſeparanda. Argumenta autem illa capitum plerumque lectorem confundunt. Prodiit verô in lucem & ipſius *Theophraſti* opus Græcum & *Gazæ* verſio latina non ſemel. Primus vero Græcum latinumque textum conjunctim edidit *Daniel Heinſius* opere, quo ſimul & reliqua *Theophraſti* Græco latina dare conatus eſt. Quamque verò titulus illius editionis referat ab *Heinſio* textum Græcum locis infinitis partim ex ingenio, partim ex libris MSS. emendatum, hiulca ſuppleta, malè concepta recenſita, interpretationem pasſim interpolatam: Epiſtola Dedicatoria idem loquitur in Græco Augiæ ſtabulum eſſe inventum, cumque plura hiulca, lacera, corrupta, perperam ab interpunctionibus concepta legerentur, partim ex ingenio, partim ſubſidio librorum, partim doctorum obſervatione, partim & collatione autorum, qui ſimilia cum *Theophraſto*, aut ſi forte eadem ſcripſerunt, data eſſe operam ut emendatus *Theophraſtus* in manus hominum prodiret. &c. Etſi porro diffitendum minimè ſit editionem illam omnibus aliis anteferendam, multa tamen, imo longe plura merito deſideraveris. Nec verò iniquum videtur *Caſpâris Hoffmanni* judicium, de hac ipſa Græco Latina, ut qui in Græcorum antiquitatibus verſatisſimus, ut probat ejus Galenus; *Quid*, inquit, in præfatione in libr: Variar: lect: *de Theophraſto dicam? tot ille penè vitia habet quot lineas, è quibus ſi ea tantum, quæ ab aliis animadverſa fuerant, ſparſimque notata ſuſtuliſſet ille,*



*quo*

*quo paucos ante annos Græco Latinum nobis dedit ſolidam gratiam apud omnes cordatos iniſſet. Si attigiſſet, illa quoque quæ Gaza erravit, nominumque Botanici civicam coronam mereri poterat. Nunc quoniam Augiæ ſtabulum illud non niſi extimo quodam tectorio ornatum eſt, fas & nos exſpectare dum cætera promiſſa appareant.* Et ille ipſe in quadam Epiſtola *J.C. Bauhino* inſcripta ita fatur. (1) Auctor ipſe utitur quidem Dialecto attica: ſed eſt ipſa non minus obſcura, quam apud *Thucydidem.* De hoc autem dicunt boni viri, ſi quis veniat ad ipſum à lectione alius autoris Græci, eventurum ipſi, quod viatori, qui ex lucido campo veniat in ſylvam denſiſſimam (2) idem ſcatet erroribus craſſiſſimis plurimis, ignavia, credo, Monachorum ſuperioris ſeculi. Talis ſi eſt Græcus, quid ſperes de Latino? Et fuit *Gaza* tam induſtrius, ut, ubicunque offenderet, lacunam faceret, emendaturus & ſuppleturus per occaſionem: ut comparare poſſis cum Virgilio, quidem cogitarat ſed infelici eventu. Quid igitur fecit primus typographus? er hat alles fein zuſammen gerucket ne abſterreret emptores. Sed & ubi Medicus aliquis miſertus illius fuerit, ſupererunt ſphalmata infinita, quæ non patientur quenquam inoffenſo pede legere *Theophraſtum.* Ego poſtquam per xx aliquot annos præſediſſem Cathedræ Botanicæ, multa notavi in utroque codice Editionis Heinſianæ; quæ opus habent cura. Tandem concludit: *Accingere me cæpi* inquit, *ad verſionem novam Theophraſti in qua heri* 14. Septemb: anno 1644. *ſub finem* l. v. *cauſ. perveni, ſuppleturus, benedicente Deo, reliqua per tempus autumnale.* Et etiam ad umbilicum deduxit: Tum quoque multis *Theophraſti* opuſculis caremus: in Heinſiana editione deſideratur illius libellus

libellus Metaphyſicus, quem jam olim *Aldus*, & alter ejus de ſenſibus, quem *Henricus Stephanus protulit*, ut nihil dicam de libello de *phantaſiæ paſſione*, cujus paraphraſin Græcam â *Priſciano Lydo* confectam edidit *Hieronymus Gemuſæus*, imo verò ne quidem omnia juſta diligentia exprimit,ut illa nobis dedit *Furlanus*, quod clarê apparet ex libro de ſignis pluviarum, ventorum, ac tempeſtatum, qui cum unus ſit non tantum in varios eſt libellos diviſus, ſed & ita diſiectus, ut pars quæ de ſignis eſt tempeſtatis & ſerenitatis â reliquis divulſa locum poſt librum de igne invenerit, ſane operæ quis pretium fecerit, qui varias emendationes præclarorum virorum, quales profecto plurimas debemus *Claudio Salmaſio* in Exercitationum Plinianarum opere, diligenti ſtudio collectas ediderit, ſi non & ipſe poſſit ex ſua pharetra, ut loquuntur, aliquid depromere. Interim tamen quam ſordido amictu etiam exſtat *Theophraſtus*, multa nihilominus ex eo diſcere licet. Per aliquot centum imo mille annos, nemo ex Arabibus, Græcis, vel Latinis (unico Excepto *Ariſtotele*, qui etiam ſatis jejune tractavit) inventus, qui vel leviter hanc philoſophiam Botanicam exercuerit. Donec demum ſuperiori ſeculo *Jul: cæſ: Scaliger* Maximi Vir ingenii commentarios ex *Theophraſto* & ſe dignos, in opus illud *Theophraſti* de Plantis, ut & Ariſtoteli attributos libellos cæpit conſcribere. Obſervandum tamen eſt neutri commentario, ſive in hiſtoriam, ſive in libros de plantarum cauſis, ultimam â *Scaligero* manuum impoſitam eſſe; imo animadverſiones in hiſtoriam plantarum ſatis exiles eſſe. Poſt *Scaligerum* unus *Andreas Cæſalpinus* in opere de Plantis philoſopiam hanc inſtituit, ut tamen longè plurima

merito deſideres: Sed quid dicemus, conſtet iſtis periliuſtribus viris ſuus honos; ex Philoſophia Ariſtotelicâ ſolida cognitio philoſophica plantarum hauriri non poteſt; cum ea omnia involvat terminis logicis, & de formis & qualitatibus ſomniis, idcirco non eſt opus adeo in *Theophraſto* emendando vel aliorum veterum ſcriptis emaculandis auctores navent operam; cum ſtudioſus Medicinæ commode iis carere queat, quam diu *dupondiis* annumeratur: Cymbam etenim tam immenſo oceano critico committere, non caret periculo, *confer* §. 26. pag. 50 ſequantur hic monitum *Scherbii*, *quod* ille olim Cl. Hoffmanno dedit: niſi vero quis ex iis reſuſcitare velit aliquam philoſophiam plantarum criticam. Si Deus T.O. T. M. nobis aliquando talèm literarum *Heroem* redderet, qualis fuit olim *Claudius Salmaſius*, litteraturæ Criticæ Smaragdus (ut â Celeberrimo *Richtero* nominatur) ut ille omnia veterum ſcripta enuclearet tali modo, uti hic Eruditorum ſui ſeculi Phæbus *Solinum* & *Plinjum* ſuo nitori reſtituit, optimè tum ille labor noſtræ Reipublicæ litterariæ commodum promoveret, talisque ſolum utilis, quemadmodum autem ſcripta illa nunc proſtant, nihil aliud ſunt, quam aliquod Augiæ ſtabulum; habet noſtra Germania ſat multos viros, qui huic labori forent pares, ſi modo manum admoverent, & labori pretium diceretur (Sed illi cum Ariſtotele in occaſu ſunt, quorum labores in publicum commodum promoventur ſumptibus patronorum: O ſi Arabia illarum literarum jacturam pretio poſſet redimere, quarum copia nunc in Germania ſordere incipit, nullis ſumptibus parceret; D. T. O. M. avertat ne prophetia *Baſilii Monneri* JCti in orat: de legibus

bus de barbarie in Germaniam reverſura, impleatur. Studia vileſcunt in Alemannia propter inopiam Mæcenatum, qui ſtudia promovere debent, & Bibliopolarum avaritiam, tum propter plagium litterarium &c. quot loca Muſis ſacrata hoc ferali bello ſunt devaſtata, & ubi finis devaſtationis, quem forte hoc ſeculum non videbit. (*Cometa* enim ille iræ Dei præco Belli continuationem annunciat, Deus ſuccurrat orthodoxæ Eccleſiæ! & Germaniæ aperiat oculos, ſupremus rerum Arbiter avertat omen, orthodoxiam, & litterarum ſtudi a à rabie Bellonæ vindicet!) Et quamdiu nemo manum hoc pacto admovet & quidem triplicis ſcrutinii Methodo, valeant illa. Ante biennium Philoſophiam Botanicam delineavit verè Incomparabilis *Marcellus Malphigius* in ſua plantarum Anatome, quod eſt ſanè opus Herculei laboris, & incomparabilis iuduſtriæ, divinique ingenii fætus; cujus Magni Viri veſtigiis ſi inſiſtant, minimè dubium, quin ſucceſſu temporis Philoſophia Botanica rurſum caput extulerit;

§. 52. *Hactenus diſcurſus* noſter fuit de duplici plantarum Scrutinio Grammatico & philoſophico, ſupereſt ſcrutinium Medicum; cognitio verò ſtirpium Medica qualis propriè ſit ex uſu artis petendum: ut enim in artibus omnia ex uſu definiuntur, ita nihil quoque ad Medicum propriè pertinet, niſi quod vel neceſſarium eſt, vel apprimè utile in Medendo. Non præſtant autem ſtirpes alium in Medendo uſum quam quæ vel in alimentum cedant, vel Medicamenti ſint loco. Hinc patet Medici id ſolum proprium eſſe, ut ſciat, quomodo plantæ vel nutrimento nobis eſſe, vel medicamento queant: & ut ſciat quænam plantæ nocere poſſint, & quidem quomodo

vel quando, unde diſcrimen cognitionis Medicæ à cognitione Grammatica aut Philoſophica nemini non manifeſtum eſt: præprimis verò hoc tenendum, cognitionem Medicam fluere ex cognitione philoſophica tanquam ex fonte, & niſi quis eam probe calleat, & in alia plus centies impinget, mirumque in modum hallucinabitur, & quocunque ſe vertit, nullibi inveniat, quo pedem poſſit figere: Caſparus Bartholinus in V. vol. act: laudat Malphigium.

§. 53. *Duo vero ſunt* adminicula, quæ nobis ſtirpium Medicam & nutritivam virtutem, ut & noxiam facultatem manifeſtant, *Experientia* ſcilicet & *Ratio*: Eſt autem experientia duplex, alia propria, alia aliena. Neque vero dubitandum eſt de eo, quod fide digni teſtes compertum ſibi prodiderunt. Sunt autem fide digni, qui & rectam experiendi rationem noverunt, & uſu aliquo valent rerum, & denique ii ſunt, qui nolint mentiri. Sane ſi horum aliquid deſideretur, nudo aliorum teſtimonio credi temere non poteſt; ſed nec tuæ quoque experientiæ tuto potes fidere, niſi accuratè obſerves omnia, quæ ad veram experientiam pertinent, & confer hic quæ diximus antea de Experimentis circa cognitionem plantarum philoſophicam inſtituendis. Inveſtigatio facultatum hic â nobis amplius non prolixè docetur, cum ea ſpectet ad cognitionem philoſophicam, & hæc Maximam partem haurienda eſt ex Corpuſcularis Philoſophiæ Tripode: ducunt autem nos in plantarum facultatum cognitionem (1) ſapor, (2) odor, (3) color, (4) Figura, hæc omnia ſimul ſumpta. Signaturas Crollianas ridemus merito cum Doctioribus, non quod plantas omni characteriſtica ſignatura vires ſuas edocendi deſtitui credamus, minimè

id mens

ad mens noſtra. Alphabetum ſtirpium cognoſcemus ope quatuor vocalium littearum, quas indicavimus per ſaporem, odorem, colorem, figuram; Hæ nobis ſunt quatuor vocales iſtius Alphateti plantarum. Perperam nonnulli duas poſteriores rejiçiunt, quaſi nihil facerent ad plantarum virium in daginem; illi autem boni viri has duas poſtremas vocales ab aliis diſtinguunt & ſe; unguut, cum tamen ſimul cum iis faciant ad virium plane ſanum ſcrutinium; quippe ridiculum & ineptisſimum, ſi aliquis ex ſolo colore plantarum vires dignoſcere velit, ſic nonnulli veterum ex flavedine Rhabarbari conjicere volebant, hanc Radicem purgare bilem, quoniam flava; ſed rejecta Humoriſtarum doctrina, ſimul illud ſomnium exſpirat.

§. 54. *Jactis fundumentis* cognitionis plantarum Grammaticæ, & philoſophicæ non eſt ut prolixè ſtudioſus Medicinæ ſeſe dimittat in antiquorum Medicorum Lectionem, dumtaxat ſequentes ex Media Ætate artis Medicæ renatæ, (nos verò artis Medicæ triplicem ætatem fecimus in *noſtro Orbe Medico*, (1) ætas eſt antiquorum Medicorum Arabum, Græcorum, Latinorum, ſeculum; (2) *Ætas* eſt avorum noſtrorum Memoria, (3) *Ætas* eſt hæc noſtra, ubi Medicina verò ad ſummum florem pervenit (ſolum id conqueritur de ſpoliis ipſi factis, primo viduata eſt *Pharmaceutica*, (2) *Chirurgia*, & de hujus jactura plurimum conqueritur, cum *ſit principalis ejus pars*; quam ſibi reddi poſcit, & præcipuè in Germania, ubi multi Medici de *Chrurgia* nil quicquam ſciunt. Prælarè loquitur ille incomparabilis *Paulus Ammannus* in ſua *Paræneſi* ad diſc: l. v. part. II. ſect: 1. c. 1. §. 2. p, 298. *Medicum* quemvis debere eſſe chirurgum, nam, quem in finem Medi-

cus

cus Chirurgo adſociatur? ut Spectator ſit ineptiarum chirurgicarum? minimè: ſed potius, ut errantem Chirurgum corrigat, ne patienti periculum accreſcat: hinc *Phyſicus*, *Medicus*, & *Chirurgus*, realiter etiam non differunt. Nos nullum Medicum Eruditum agnoſcimus, niſi Chirurgiam calleat. Petit ideiro hic reſtitutionem in integrum. Multorum è contra, quæ in eam illata ſunt, ablationem; quorum partim mentionem injecit Clariſſ: *Ammannus*. Et nos aliquando de thraſonicis inventis dicemus Deo Volente, in noſtra Spongia Hippocratica. Vide *orbem noſtrum Medicum*) recommendamus; *Matthiolum* in Dioſcoridem; *Jacobum Theodorum Tabernemontanum*; *Matthiam Sylvaticum*, *Montagnanam*; *Camerarium*; *Lobelium*, *Rembertum Dodonæum*; *Fuchſium* de compoſitione Medicamentorum, *Joannem Fernelium*; *Bernhardi Deſſenii* opus de compoſitione Medicamentorum, *Antonii* Muſæ varia opuſcula, quibus examen inſtituit ſimplicium & compoſitorum; *Joannis Renodæi* diſpenſatorium; *Jacobi* Weckeri Antidotarium; *Jacobum Sylvium* de Medicamentorum ſimplicium delectu, præparationibus, miſtionis modo; & qui De Americanis ſcripſerunt plantis, quos ſuperius omnino indigitavimus; quibus jungi poteſt *Hoffmanni Galenus*: Ex Noſtra ætate paucos quoque adferenus; hic ſufficiunt (I) *Schroderi* pharmacopæa, cum clave *Hoffmanni* (1) *Gieswein* Syſtema, (3) *Franſcii* Lexicon vegetabilium, (4) De Materia Medica introductio Nobilisſimi *AMMANNI*. (5) jungi poteſt *Prævotius*. (II) *Curioſorum* opuſcula, in quibus unicam plantam juxta Methodum Academiæ Curioſorum deſcribunt; Et ex eâ hactenus prodierunt, *Crocologia Clariſſ: Hertodii*, *Abſynthium* illuſtris noſtri Præſidis

dis D. D. *Fehr. Ampelographia* Clariſſ. D. D. *Sachſii* &c. ali Viri Magni, quorum opuſcula magni facienda, & rem Medicam quam maximè illuſtrant & majorem ſpem adhuc fovemus de quorundam Magnorum Virorum laboribus; D. D. *Tilingius* Rhabarbarologiam nobis dabit, Nonnemo *Naſturtium* nobis privatim promiſit, qui labor cum Excellentisſimi *Pegaſi* Cochlearia curioſa collatus ad ſcorbutum curandum viam ſternet, D. D. *Chriſtianus Franciſcus Paulinus*, inferioris Saxoniæ Decus, Curioſorum *Arion dictus* edita ſua Cynographia Salviam examinabit; nos *Deo volente* ex *Vegetabilium Claſſe* (1) *Chamo millam*, & (2) Raphanum. Ex *animalium* familia (1) *Ciconiam* (2) *Hirundinem* (3) *Urinam*, & (4) *ſanguinem*; ex Mineralium *Arſenicum* dabimus curioſa methodo.

§. 55. *Ex Vegetabilium* familia maximam partem depromuntur, quæ vel ſanitatem deperditam reſtituunt priſtino vigori, vel eam conſervant beneficio medicinæ Conſervatricis: Ea autem hoc ordine recenſentur, quæque reſpiciunt fermentum ſequeſtrativum: (1) *Cathartica*, Purgantia, ſuntque talia Medicamenta (ſi *propriè* purgatio intelligatur,) quæ validius humores è corpore deturbant; quibus videlicet fermentum ſequeſtrativum juvatur in ejiciendis particulis morbificis, ea promit familia Vegetabilium. (2) *Emetica* vel *vomitoria*, quæ humores in ventriculo, viciniſque partibus contentis per ſuperiora vi atq; impetu quaſi ejiciunt; (3) *Apophlegmatiſmi* nomen ſuum ab effectu adepti videntur, quod Cerebrum vicinaque loca per palati cerebrique emunctoria evacuent, ac ſerum proliciant. (4) *Errhina Sternutatoria*, ab effectu, caputpurgia, â parte, cui applicantur, *naſalia* dicuntur (5)

*Sudorifera* vel *Diaphoretica*, ut & *Diuretica*, (6) *quæ etiam* admiſcentur ſuppoſitoriis vel clyſteribus. (7) *præbent* & materiam ſuffimentis, vide Celeberri: D. D. *Deckerum.*

§. 56. *Præterea vegetabilia* dividuntur (1) *in Cephalica*, (2) *Opthalmica*, (3) *Cardiaca*, (4) *Pulmoniaca*, (5) *Epatica*, (6) *Splenetica*, (7) *Stomachica*, (8) *Uterina* &c. vel etiam juxta morborum ſeriem plantæ nominantur (1) *Anti-Epileptica*. (2) *Antiapoplectica*, (3) *Antiſpasmodica*, (4) *Arthritica*, (5) *Nephritica*, (6) *Antihyſterica*, (7) *Antipodagrica*, Etc. Alia adhuc diviſio eſt reſpectu *Catharſis*, ſic quædam dicuntur (1) *Cholagoga*, quæ hoc verſu indigitantur.

Casſia, Manna, Tamarindi, ſuccusque Roſarum.
Scammonium, Myrabolani, Rhabarbarum, Aloe.

(II) *Phlegmagoga* hiſce vulgo verſiculis continentur.

Carthamus, Agaricus, Turbith, Mechoaca, jalappa;
Emblicia, Belliricæ, Chebulæ, Colocynthis amara;
Hermodactilus, Euphorbium, Opopanax, Sagapenum.

(III) *Melanagoga*, itidem in ſequentibus verſiculis vulgò comprehenduntut.

Sunt indæ Balani, Lazuli lapis, Armeniusq;.
Senna, Polypodium, Quernum, Helleborusque, Epithymum.

(IV) *Hydragoga* ſequentibus contenta verſiculis.

Eſula, Gratiola, atque Ireos ſuccus, Mechoaca
Poſt Ebuli ſemen, ſuccus cortexque, Elaterium,
Soldanella virens, cum Gummi gotte, jalappa

(V) *panchymagoga*. Sed de ultimis his vegetabilium partitionibus ne prolixi ſimus, obſtat veritas, & modernorum Medicorum experientia: poſtquam enim præcipitati ſunt Humoriſtæ cum ſua Humorum quadriga illa ut ſomnia

nunc

nunc exulant, nam quod antea *Galenici* diverſitati humorum tribuebant, illud, nunc conſtat, tribuendum eſſe diverſæ tincturæ, qua purgantia ſerum tingunt: præter ſerum quippe ex corpore nihil evacuatur, quod variè tingitur. Huic noſtro ſcopo facem accendunt verba incomparabilis *Andreæ Cnoffelii* Æſculapii Poloni, quæ hic tanto libentius, licet prolixa, inſerimus, quoniam ambabus ulnis ſententiam ejus *amplectimur. Cum omne ſolutivum* nil elective educat vitioſi, ſed indifferenter, exceptis paucis mitioribus & balſamicis, virulentiâ ſibi propriâ omnia in omnibus, etiam ipſos ſubſtantiales liquores, heſternum ſimul cremorem ſanguificationi deſtinatum inſtar torrentis abradat, & corpus noſtrum in liquamen illud putidum ſubigat; iſti noſtri ſtercorum hariolatores credulis ægris, (quos, neſcimus, qua arte faſcinarunt,) maximè magnatibus illa liquamina mucoſa, cadaverata pharmaci veneno bacillis in triumphum ſuſpenſa monſtrant, Quæ morborum in te fuit Sentina, quis Hercules hoc Augiæ Stabulum expurgabit? Bona, Bona hæc fuere, vitæque & virium ſuſtentamina noſtra furto & veneno pharmaci ſubducta, non reperta ante exhibitum medicamen in nobis, ſed introducta & facta, cadaverante & colliquante veneno ſolutivi per Medici ſive dolum ſive ſupinam juſtitiam non tantum ſemel propinati ſed ſægius repetiti. *Cujus* fraudis ocularem demonſtrationem illuſtrisſimus Dominus *Comes* ab *Oſterog* Reipnblicæ Polonæ Cato meritisſimus ante aliquot annos hic *Varſaviæ* vidit. Potiunculam ſolutivam Illuſtrisſimo huic *uſualem* NB. dudum à quodam Medico ſibi præſcriptam in ſextuplo parari, nempe ad ſex peculiaria vitra ſive doſes curavi: ſingu-

lam talem doſin ſingulo, in id Electo Heidoni robuſtisſimo, optimèque valenti cum jejunio & cuſtodia quatuor horarum propinavi mane; poſt prandium ſingulus ſua dejectionum liquamina monſtravit æquè, ac ſub morbo ſuo *Illuſtrisſimus* è potiuncula ſolutiva hac ſua uſuali, quorum neunus tamen integro anno vel de ſuſpicione morbi, vel talis ſaburræ morbificæ querulus fuerat. *Hactenus prælaudatus Reginæ Poloniæ Medicus.* Ex hoc quilibet concludere poteſt, quam tutò, quam citò, quam jucundè curent. Utinam hoc omnes illi legerent, qui ſæpius ſub tam imperiti carnificina gemunt, ac ſuos charos ad Rogum tanto citius transportent hi veſpiliones titulo Medici ornati, & Lautis muneribus eos mactant Generoſi illi Domini, dolemus hanc jacturam tot Heroum liberorum; De *Venæ ſectione* (L. B. id nobis facile ignoſcet, quod hic in tantum extra oleas vagemur,) *Quam itaque*, inquit, periculoſè perfidis venæſectionis & purgationis ſubſidiis Diabolus ſpe auxilii è paganiſmo erutis, vitæ & ſaluti Chriſtianorum aliquot ſeculis fuerit inſidiatus, &c. Utrumque magna reformatione indiget vide *noſtr. Spong: Hippocratic:* ſicq; electivè purgantia ſunt ſaltem entia rationis, & ab imperito adhibita mera torturæ hominum organa Letifera.

§. 57. *Præter recenſitas* vegetabilium diviſiones ſunt & quæ dicuntur ſoporifera, anodyna, ſtupefacientia, e. g. Mandragora, Papaver, Cynogloſſa, Verbaſcum, &c. omnium notisſimum eſt *opium* & ex eo compoſita Laudana opiata, de quibus diximus prolixè §. 33. Ea verò opii curioſa correctio, qua illuſtris D. D. Joel Langelott. Medicorum hujus noſtri ſeculi Aquila, & facilè eorum, qui artem Spagiricam excolunt, Dux & Princeps, Patronus, Fautor, Amicus,

cus, & compater noſter honoratisſimus, cui tantum debemus, quantum noſtrorum Amicorum ulli, ſuum opium præparat, conſiſtit in arcano fermentationis, de quo ipſe illuſtris vir adhuc infra meritum, ſive Magni hujus viri eruditionem, & experientiam, ſive humanitatem ſpectes, à nobis laudatus ita diſſerit: *Verum enim vero*, inquit, *alius adhuc uſus Fermentationis isque ſatis illuſtris exponendus reſtat, poſſe nempe ejus beneficio ſulphura cruda, impura* naturæ inimica omnium optimè & commodisſimè ſeparari, id quod ſequens opii præparatio demonſtratum dabit, quam non poſſum non de meliori nota commendare, præbet enim Medicamentum tutum planè, & immune a vulgi dicteriis imò quoque verè panchreſtum, mille commoda ferens, ſi quis eo dextrè uti noverit. Hactenus *Celeberrimus* Vir. Quandam quoq; opiipræparationem illuſtri D. D. Thomæ *Bartholino*, communicavimus (quem celeberrimum virum an magis de Eruditione & Experientia, quam de Eruditisſimis Filiis ipſo ſatis patre laudare conveniat, ambigit ſeculum,) quæ exſtat *volumine* 3. *actorum*, jam publicato in quo XVIII obſervationes â nobis communicatæ exſtant, hi illuſtres viri communicata poſteris non invident ut noſtri Curioſi, ut quibus multa curioſa tranſcripſimus, Verum jam in duobus Tomis modo 4. â nobis communicata habentur, ubinam reliqua hæreant, ignoramus, parem querelam nobiſcum movet Excell: D. D. *Tilingius* Collega Honoratisſimus, meditamur eorum peculiarem Syllogen. Hoc certum eſt, omnia compoſita officinalia, quæ hactenus in officinis proſtiterunt ad leges fermentationis ſi examinentur, medicamentorum cortices ſunt, ex quibus communi Seplaſiariorum arte non evolvuntur, &

maximam partem ad commodius compendium redigi poſſunt, ut magis recta via tendant in uſum humanum; quam alias, & videntur per ambages & circuitus illud præſtare, quod tunc ſtatim primo aggreſſu felicius expedirent; obices, quo minus Medicamenta deſiderium Medici & ægrorum vota impleant, craſſa illa ignorantia fermentationis corporum noſtrorum ponit, hanc ſi excutere laboremus, facile quaſi novus phæbus artem noſtram illuſtraturus oriretur. Totum arcanum conſiſtit ſolum in hoc; *Medicamenta* fermento noſtri corporis fermento analogo præparentur, *Et pari fermentationis modo,* quo corpus noſtrum alimenta ſibi in homogenietatem per fermentationem asſimilativam ſociat, & per fermentationem ſequeſtrativam heterogenea vel fæces â ſe amandat, ſic quoque ipſorum medicamentorum aſſumptione, utrumque fermentum tam asſimilativum, quam ſequeſtrativum confortetur. Si nunc opii talem anatomen fermentationis operatione inſtituamus, opium fit tam tutum & panchreſtum, ut loquitur *inſignisſimus* D. D. *Joel Langelott*, medicamentum; imo Anchora ſalutis, manusque Dei præſentem opem ferens: *Omnis* vero fermenti operatio conſiſtit in asſperſione contagii ſpirituoſi particulas contiguantis vel continuantis, neque illa ſubterranea menſtrua alio modo procedunt, nam uti antea omnino â nobis (§. 48. 49. 50.) dictum, ſic tempore verno, ubi contingit Catholica fermentatio, prima rerum minima (§. 30. 31. 32.) vivificata calore ſolis contagium fermenti vaporoſi, in quod tunc menſtruum vegetabile beneficio caloris diſſolvitur, attrahunt: Hoc menſtruum vegetabile in fermentum vaporoſum diſſolutum nobis deſcri-

bit

bit Moſes Gen. 2. verſ. 6. Et *vapor aſcendebat è terra, & irrigabat univerſam ſuperficiem terræ.* Hic vapor, cujus hic mentio fit, nihil aliud eſt, quam primigenium menſtruum innatum, quo pluvia turget tempore verno & æſtivo, maximè verò *ros majalis.* Theſin hanc illuſtrant, quod *Chambræus notavit*, libro de cauſis inundationis Nili Nubeculæ quædam roſcidæ nitroſæ fermenti inſtar miſceri aquis incipiunt, undè illæ turgentiores excurſibus ſuis totam terram fæcundant, quo & reſpicit illa *Rabbinica* ſententia, de cauſis inundationis, quæque *Chambræi* narratio lucem quandam indipiſcitur, Ajunt illi (referente *Wagenſeilio* commentario in Sotam, verba hæc nobis ſuggerit Poeſis & Phyſis & Themidos Maximus Myſta D.D. *Morhoff.* p.t. Magnificus Pro-Rector, Fautor & Amicus noſter, & Collega Honoratisſimus *Diſſ. De ſenſuum paradoxis Cap. V.*) Deum circa ſolſtitium dejicere guttam unam pilæ magnitudine ex aquis maſculis (ita vocant ſuperiores rorem & pluviam, cum inferiores aquæ vocentur illis fæminæ; ſed noſtro arbitratu eſt ille *Vapor Moſaicus* (Gen. 2. verſ. 6.) aqua maſcula) in medium Nilum, iſtam vero guttam ita ſe habere, ut fermentum in Maſſa, unde omnes aquæ Nili efficiantur maſculæ, illam verò guttam à Deo precibus Abrahami impetratam. (Hæc gutta vel potius vapor Maſculus ante Abrahæ ortum exſtitit (Gen. 2. verſ. 6.) & terram irrigavit, hoc modo menſtruum in fermentum ſpirituoſum reſolvens) Quod de Nilo, teſte *Wagenſeilio*, Rabbini ſtatuunt, hoc nos de univerſali terræ ſuperficie ſtatuimus, nam terra nobis matrix eſt, quæ tempore verno contagio fermenti ſpirituoſi imprægnatur, unde menſtrua ſubterranea activantur ac è veterno quaſi reſuſcitantur,

quæ

quæ maximam partem conſtant principio nitro-ſalino, cujus contagium maſculum *Mercurius* aereus. (§. 43. p. 91. Ex prælaudato D. D. *Joel Langelott* Viro Incluto) uti nunc rerum Geneſis non aliter quàm beneficio utriusque fermenti aſſimilativi & ſequeſtrativi abſolvitur, & non aliter in amicam copulam noſtri corporis vergant, neceſſe quoque eſt vi alicujus fermenti ita diſponantur, ut ſint fermenta. *Ætiologia* compoſitionis opii *Langelottiana* in hoc conſiſtit, nam uti diximus (§. 33. p. 67. k. 2.) opii vim ſoporiferam collocari in quodam ſpiritu tenebricoſo, nam dum opium ſolvitur, ibi ſpiritus ille halituoſus tenebricoſus lucem microcoſmicam primigeniam obnubilat, obſcurat, hinc ſomnus ab opio &c. his tenebricoſis particulis opii per ſuccum cydoniorum lucidæ quædam particulæ ſociantur: particulæ enim *tenebricoſæ* cum *particulis lucidis* cydonii ſucci, ſalis Tartari, ſacchari in luctam aguntur: Hinc quum (ſunt *verba Excellentisſimi viri* & D. D. *Joelis Langelott*) evidenter attollitur & reſolvitur per minima: cave verò à ſulphure Narcotico graveolenti, quod tunc ſolet exſpirare. Videbis tunc quoque partem impuri volatilis ſpumoſi ſuperiora petere, partem verò magis terreſtrem in fundo cucurbitæ ſubſidere: tandem in medio conſiſtet purior pars, liquor nempe rubicundus Rubini inſtar pellucidus (*videlicet ſpiritus ille halituoſus tenebroſus nunc fixior factus, ac particulis lucidis Trigæ ingredientium imprægnatus*) quem cautè ſeparabis, filtrabis, & debita deſtillatione ad mellaginem inſpiſſabis. Hanc denuò ſpiritu vini alcoliſato (qui *ſane particulas ſuas quammaximè motrices & lucidas quoque impertit*) diſſolvas, filtresque, per menſem digeras, ut quicquid adhuc inde ineſt

Cæleſti

Cæleſti illo igne ( *Lucidiſſimo luci primogeniæ analogo & homogeneo* ) maturetur & perficitur ſpiritu ad juſtam conſiſtentiam abſtracto &c. *Hactenus* D. D. *Joel Langelott* vir tam humanitatis quam Eruditionis omnigenæ Exemplar *Aliter* Ætiologia hujus compoſiti explicari non valet: Hac quippe præparatione *Langelottiana* opium particulis tenebricoſis plenum exaltatur ut capax fiat particularum lucidarum ignearum, ut unà cum iis non tam obnubilet obſcuretque lucem primigeniam Microcoſmicam particulam lucis Macrocoſmicæ, quam potiùs blandè, tutò, citoque mulceat, ſopiatque nimia luciditate volatili effrenem *Archæum*, placetque. Hocque compoſitum Langelottianum dignisſimum eſt, ut in omnibus officinis pharmacertius proſtet: Et in hoc cardine quoque vertitur *Ætiologia* noſtræ præparationis opii ſecretæ, tantum dicimus: *Menſtruum* ejus eſſe ſummè lucidum ( divinent hoc philiatri, Deum verò teſtamur non eſſe *ſpiritum vini*) volatilibus maritatum, communicare non lubet antequam aliquis ſol has triſtes nubeculas, quæ nunc nos noſtrasq; res involvunt oriatur: contumacisſimum dolorem podagricum non tantum ſopire poſſumus, verum hanc cauſam padagræ nimis fixam & præcipitatam reſolvimus eo in ſpirituoſum vaporoſumque fermentum ut per inſenſibilem transpirationem radicitus vaneſcat, tollaturque, morbusque nullam recidivam incurrat: Experientia laudabit hoc compoſitum opii verè opiferi & opis præſentisſimæ. *Ætiologia* noſtræ præparationis opii, quam ante biennium transſcripſimus ad Danorum Medicorum Coum D. D. *Thomam Bartholinum* quoque conſiſtit in particularum tenebroſarum elucidatione: Ubi videlicet inter affuſi men-

ſtrui deflagrationem injicitur ſuccinum pulveriſatum, ut cum ejus particulis per amicam copulam vel intrinſecum connubium opii ſpiritus halituoſus & tenebricoſus conſocietur combineturque. Exſtant in officinis tot laudanorum opiatorum formulæ, adeo ut nullus Seplaſiarius omnino ſit, qui non peculiarem & ſecretam opii correctionem jactitet, verum ſi examinentur, eſt ingredientium farrago: Sic vidimus quædam ſæpius hanc compoſitionem ingredi, quæ nullius commodi, emolumenti vel ponderis ſunt, noſtri propoſiti ratio non permittit aliorum compoſita virgulæ cenſoriæ ſubjicere. An autem fermenta vel fermentationis negotium tantum debeat *Acido* ut nonnulli arbitrantur, non aſſerere audemus, conſtet per nos principiis *Alkali* & *Acidi* ſuus honos, hic verò acidum principalem perſonam non agit in hac ſcena, ut alias latius demonſtraturi ſumus, de acido quædam diximus *Volum: 2. actor: Haffnienſ*: obſ: 30. p. 255. 256. 257. &c. ſatis verò prolixè â nobis de fermento actum eſt in noſtro opere de *fermenti* & *fermentationis* negotio in *pathologia & Therapia*, ubi omnes morbos, & omnium medicamentorum ætiologias & operationes ex hoc unico principio educimus. Et (§. 3. §. 9.) de opio egimus. Tum & de *fermentatione* quædam in medium â nobis allata ſunt (§. 49. p. 108. 109. 110. Et in noſtro *Scrutinio nigredinis Æthiopum* §. XVII.) Hic nihil quicquam præterea nunc adjicimus, omnia enim ea hic congerere foret nimis prolixum, & extra propoſiti cancellos. Hoc tamen pro indubitato præſupponimus: Cardinem Pathologiæ & Therapiæ in hoc unicè verti, & eſſe quaſi fontem catholicum, ex quo utrumque deducitur, & Achillea argu-

menta

menta ſuppeditat contra errores communes: Sed ætas noſtra videtur & eam lucem nobis affulgentem novos excogitando terminos obſcurare, cujus cenſus eſt vis illa Elaſtica dulce Somnium de qua Vid. præfat. Scrut. æthiop. præmiſſ.

§. 58. *Miſſis his omnibus*, ut quæ peculiare poſcerent volumen; De purgantibus Emeticis, ſudoriferis, & vulgo dictis Cardiacis hic paucis agemus, ſolum hoc indicato, in quibus particulis vires ſuas exſerant hæc vulgo dicta: A Catharticis facimus initium; Et ea mutuamur ex *noſtro opere de fermento* & fermentatione in *pathologia* & *Therapia*, ubi §. XIV ita loquimur jam de purgantibus agere incipimus juxta telam inceptam, ibi præprimus præjudicium tollendum eſt, videlicet vulgus vim catharticam collocat in particulis reſinoſis, non aliundè, quàm quod fortè reſinæ *jalapiæ Scammonii* vim habeant purgantem fortiorem: Quibus opponimus Agaricum, in quo nulla reſina, &c. paulo poſt: Quid dicent reſinoſarum particularum patroni de catharticis ex mineralium familia. Præterea Reſinoſæ particulæ non habent vim catharticam, ſed propter glutinoſitatem cohærent humorum purgandorum poris, unde id quod tanta tormina in corporibus purgandis excitentur, niſi quod particulæ reſinoſæ primo ſolvi debeant ſuis compedibus antequam evacuare queant evacuanda. Unde quod mineralia, blandius ſine minori torminum cruciatu purgent, ſi ritè ſint præparata, niſi quod careant reſinoſis particulis, *præterea* id evincitur ex variis Extractis, Eſſentiis, quæ fiunt ex purgantibus, quibus revera nihil reſinoſi ineſt. E. g. *Serum* Scammoniatum *Sylvii* quid reſinoſi continet? Reſinoſæ particulæ non commiſcentur levi miſtura & levi triturâ

Scammonii cum Aqua *Borraginis* vel alterius generis aqua: quippe particulæ reſinoſæ refugiunt unionem cum aqua, & non reddunt liquorem lacteum, ſed particulæ reſinoſæ Scammonii, ſi quæ inſint, remanent in fundo, & inſunt particulis illis nigris, quæ poſt trituram Scammonii cum aqua in fundo inveniuntur. Et nunc tot pharmaca dantur, quæ nullam omnino reſinam continent, quare ergo tribuemus id talibus particulis, quæ ſaltem paucis & præmemoratis pharmacis inſunt. Deſtructo dogmate, de particulis reſinoſis, jam ipſam Catharſin reſpectu vegetabilium paucis examinare operæ pretium, & hanc potius collocamus in particulis plantarum aculeatis *ſulphureis ſalino nitroſis*, & hæ, cum vegetabilia omnia ad ſuæ compagis ſolutionem non requirant prolixum apparatum, mox vim ſuam exſerunt, quam citò ulterius ſuis compedibus ſint ſolutæ beneficio fermenti ſtomachi, nam dum prorſus fugiant intrinſecam copulam vel connubium vel cum ipſa maſſa ſanguinea, vel cum cremore ſanguificationi deſtinato, liquamen peculiare putidum conſtituunt, quo fermentum ſequeſtrativum magis magisque confortatur, ut ejiciat ſaburram. *Et quamvis* merito improbemus hactenus perperam propugnatum dogma de Electivè purgantibus: nihilominus tamen pharmaca purgantia non ſunt ita promiſcuè uſurpanda, ſine ullo delectu. Quippe quidam morbi non ferunt vim fortiorem Catharticam, ſed blandè moveri volunt, neque ferunt ea pharmaca, quæ adeo particulis acutis & acuminatis gaudent, aut vehementiori niſu humores præcipitant hinc delectus inter pharmaca ſemper habendus eſt: Nam ſi cuilibet morbo medicamento uno eodemq; pharmaco

maco vellemus ſuccurrere, illud eſſet Crimen temerarium & dementiæ proximum. E. g. In febribus ardentibus & malignis velle exhibere, Elleborina, Scammoniata, vel Gum: de Gemu, eſſet revera hominem ad fatalem periodum deducere, plura videſis (al. I. §. xiv.) id aliquando lucem videbit ſi Deus annuat! poteſt tam diu videri Nobiliſſ: *Deckerus*: Sed poſſet forte aliquis objicere, ſulphur & reſinam eſſe unum & idem: ℞ Negando, differunt enim, *Reſina* ſulphure pinguior ac viſcidior eſt, tum etiam ſulphur non ſolum ſed ſimul cum aliis particulis catharſin abſolvit, ea enim omnium optimè purgant, & blandius, in quibus minor ſulphuris copia; ubi illud adeſt, ibi Evacuationem comitantur tormina majora &c. quarè ergo ſulphur per ſe datum non movet catharſin, quod aſſumptum videmus ciere diaphoreſin, ſed hæc tria particularum genera ſuis compedibus ſoluta in nullam copulam conſpirant, hinc catharſis, quæ non ſubſequeretur, ſi eſſet ſolum reſina. Imo tunc ſpiritus vini omnium optimè purgaret, ut ſulphure plenus: & quid de aromatibus dicetur, quæ omnino non purgant, quamvis ſulphure abundent. Sic quodammodo ſulphur & Reſina differunt.

§. 59. *Sequitur nunc Vomitus* (a. l. §xv) quomodo ille videlicet peragatur beneficio fermenti & fermentationis. In vomitu motus contrarius eſt motui cathartico, nam quæ in catharſi per pylorum ejiciuntur, ea per orificium ſuperius ventriculi per guttur amandantur majori cum niſu totius corporis & humorum agitatione. Hinc & multi verentur ad hoc remedium accedere, cum integrum corpus tam vehementer concutiat &c: & id non mirum, ſi perpendamus, per quas vias operetur vo-

mitus, & per quas partes expediatur negotium, quibus vicina ſunt viſcera totius corporis principaliora&c. hinc totum corpus duplo, imo triplo magis laborat in vomitu, quam catharſi, quippe & hæc evacuatio per vomitum magis eſt præternaturalis, quam evacuatio per alvum, quæ eſt via ſaburræ exonerandæ deſtinata. Tum hoc accedit, quod humores difficilius in altum ſublimentur & attollantur, quam ut præcipitentur, feruntur enim contra vim presſivam Atmoſphæræ Microcoſmicæ & ea verò, quæ per inferius guttur exeunt, feruntur vi presſiva Atmoſphæræ ad partes inferiores. Ad vomitum vero apta ſunt iſta vegetabilia, quæ quam maximè poſſunt vellicare fibras & ſine mora ſtatim vellicant, neque opus eſt, ut vult Williſius, ut primo emetica vertantur in aliquam tincturam & abſorbeantur â fibris: verum ita comparatum eſt cum emeticis, ut, quam cito ſunt aſſumpta, ſtatim vellicare, & ſtimulare valeant fibras, & protrudant humores ad ſuperius orificium; nam dum fermentum ſtomachicum agere incipit in vegetabilium corpora, illic ſtatim incidit in particulas tota natura ipſi adverſas, & irregularis figuræ corpuſcula aculeata, hinc ventriculus fundi, *qui eſt medius locus inter pylorum & ſuperius orificium*, & aliquatenus ſuperiori orificio, quam pyloro vicinior, ut, in *Iſagoge* inſtitut: Anatomicar: philoſophic: demonſtraturi ſumus validisſimis rationibus, contrahitur ad excusſionem hujus hoſtis ad ſuperius orificium. Ex Vegetabilium claſſe Emetica ſunt, *Helleborus albus & niger*, *folia Aſari*, *ſambuci*, *Radix Bryoniæ*, *Semina* ſtaphidis agriæ quindecim ex hydromelle bibita vomitum movent, jubetque *Dioſcorides* qui ea hauſerunt, deambulare & continuò

aquam

aquam mulſam bibere ne fauces adurantur neque ſuffocentur: *Teſte* Nobiliſſ. *Godefrido Steeghio* l. I. m. p. c. XVI. p. 193. Sed quorſum tam periculoſum medicamentum, cum tutiora adſint: De albo Elleboro hoc monemus, ejus radicem ex Republica Medica proſcriptam eſſe *Meſues* cum Elleborum appellat mortiferum, an huic plantæ injuria non fiat, cum tam innocens proſcripta ſit: Hinc factum ait *Leonardus Jachinus*, cap: de Melanchol: quod morbi difficiles, â vetereribus curari ſoliti, noſtro ſeculo pro Incurabilibus habentur &c: *Petrus Salius Diverſus* quoque hanc radicem vult reductam. Huic ſententiæ ſubſcribit *Godofred: Stecchgius* l. d. p. 193. 194. 195. 196 197. Et uti ille utitur, & nos uti non veremur, huic enim Magno Viro multum tribuimus. Ex hoc *Vomitorium Conradini* præparatur: poſſunt enim multa utilia per modum *extractionis*, & aliis modis ex eo fieri: in noſtra praxi, quam in noſtro phyſicatu in Ducatu Bremenſi ſatis latè diffuſam, &, Deo debentur grates, felicem habuimus, nullo genere remediorum rarius uſi fuimus quam Emeticis & Catharticis & venæſectionbus, multos tamen & deploratos, deſpetos ab aliis prognoſticis relictos tam Illuſtrium, Generoſisſimorum Dn. Dn. quam plebis Genere reſtituimus: Illuſtrisſimus Dn. Dn. *Henricus Horn* tum temporis Ducatuum Bremenſis & Verdenſis (ne alios Generoſisſimos nunc commemoremus) Gubernator jamque Claſſis Navalis Suedicæ *Admiralis* ſæpius, noſtrum conſilium daremus, clementisſimè jusſit, peculiares obſervationum centurias ſuo tempore (Deo volente) publicaturi ſumus &c. Hæc posſident particnlas acutas figura irregulari præditas quæ non ſolum pungunt vel vellicant fundum ventriculi

triculi ſed ſunt admodum vaporoſæ, & fermentum ſtomachicum, ut & chylum & alia, quæ omnia omnino natura ſunt diſtincta quaſi, ut vel nunc cedant in vicinarum partium alimentum, partim etiam eliminanda ſunt, quæ ſunt ſcoriæ vel ad fæces pertinent, præſertim cremorem ſanguificationi deſtinatum, qui tendit vel ſeſe accingit intrare ſua vaſa; hæc omnia, inquam, ſequeſtrativi fermenti inpresſione imprægnata præter naturam rurſum commiſcet, & illa confuſio per particulas Helleborinas acutas adverſa eſt ventriculo, ejusque fermento, hinc vomitus. Nam illa vegetabilia, quæ vomitum movent, habent particulas aculeatas vaporoſas, & fermentum ſtomachicum, vel quæ præterea ventriculo inſunt, circulantes, in iſto actu circulationis ſaburra ejicitur.

§. 60. *De ſudoriferis* nunc dicemus: (ex a. l. §. XIII) Vegetabilia multa ſunt, quæ diaphoreſin promovent & illa conſtant particulis *ſalinis volatilibus*, quæ cum facillimè poros ſubeant ſanguinis, hinc etiam confortatur fermentum ſequeſtrativum ut recementitias particulas è ſanguine per poros expellat, ſunt autem diaphoretica Carduus benedictus, Scordium, Centaurium minus, Angelica, Ruta, &c. quarum plantarum ſi examinemus compagem & contexturam, facilè quibus particulis diaphoreſin abſolvant, patet, nimirum particulis *Salinis* volatibus: Quo enim plus ſalis volatilis ineſt vegetabili, eo fortius ſudorem movet: Nam hoc notandum eſt, totum negotium diaphoreſis conſiſtere in cofortatione *fermenti ſequeſtrativi*, in quibus particulis hoc conſiſtat, ſatis prolixè diximus a. l. Plenius hoc arcanum aperire non placet, cum in eo conſiſtat noſtræ Methodi Medendi, qua ab aliis prognoſticis

gnoſticis relictos, deſperatosque ſæpius felicisſimè reſtituimus, ſuo tempore N. B. id communicabimus, nam quod alii hactenus *Purgationibus* & Venæſectionibus ſuis (nam ſi quis plebi Medicorum has luridas & arenoſas *phlebotomiæ* & *purgationis* columnas, quibus univerſum, medicationis ſuperſtructum eſt ædificium, ſubduceret, totum, & nil niſi quod *Lácon* ad philomelam, vox ſunt; nempè convenientibus & à Natura dotatis arcanis, & decenti Methodo deſtituti omnimodo, per illa duo vulgò dicta, Mors triumphum agit per Medicorum plebem in corporibus humanis &c) hoc nos ſimplici confortatione *fermenti ſequeſtrativi* (Deo debentur laudes) perfecimus, ut multis obſervationibus probare poſſumus, & probavimus adhuc ante tres ſeptimanas (Die XIX Maji currentis anni 77.) rumpantur ilia Codro: Et ex hoc fonte fluit noſtra Medendi Methodus per ſolam inſpirationem alterati *aëris*, qui ita â nobis alterari poteſt, ut *purget per alvum*, per *vomitum*, *ſomnum inducat*, *confortet*. &c. ſuperbiant alii ſuis inventis, nobis noſtra curta ſupellex potior eſt iſtis Thraſonicis inventis. Nobis in uſu eſt *Emplaſtrum*, quod non componitur ex vulgari iſta materia, & qua alii concinnant ſua Emplaſtra Stomachica, quod eſt fermento noſtri *Stomachi* tam *analogon*, & tam fortiter eo confortatur tantumque appetitum facit, ut vix cibo quis ſatiari posſit, & cogitur ſæpisſimè edere, qui hoc emplaſtro muniit ventriculum. *Civis* quidam hujus loci admirandas vires de eo prædicatur: *in podagra* eſt admirandi effectus; hoc ſaltem hic libet dicere, nullum *oleum* ejus compoſitionem, nullum officinale ingreditur &c. ſed conſtat ex tribus vilisſimi pretii, ſic & *DEUS* vilisſimis quoque admiran-

das ſuas dotes conceſſit. *Nos obſervatis obſervandis* nil aliud intelligere conamur in arte Medica, quam *duumviratum* quendam *Microcoſmi*, & *quendam duumviratum Macrocoſmi*, & quomodo interſe habeant analogiam: Deo Soli, & Principi Clementisſimo noſtro Domino & paucis placere ſtudemus, cæteros nihil moramur invidos: pace mundo reſtituta, palam fiet, quale talentum nobis â Deo conceſſum, quod & libenter impendemus data occaſione, & eam, quà prodeſſe liceat, ægris deſideramus.

§ 61. *Practicis Cardiaca frequenter* in ore (vide a. l. §. XVI. & XIX) & calamis ſunt, quam cito ad ægrorum grabbatos accedunt. Quid autem propriè ſint & plurimi, qui præſcribunt, ignorant, & qua energia ſuas operationes perficiant, neſciunt; Et falſo nomine inſigniuntur Cardiaca â Corde nomen adepta: propriè enim Cor, quatenus eſt muſculus, non confortant, nihil etiam patitur, ſed tota vis confortandi in particularum (*********) efferveſcentiam præcipitando, & in ejus languore propter nimiam particularum viſcidarum corrigendo copiam videlicet ſublimando conſiſtit &c. *Cor* quippe â nobis non aliter conſideratur, quam ut quædam Valvula muſculoſa oceani Microcoſmi, & communiter meretur nomen iſtius hydraulici inſtrumenti, quod Belgæ vocant *eene Siel*: cujus officium eſt aquas ex oceano profluentes vel transmittere vel ſufflaminare, ad motum fluxus transmittere ad motum affluxus ſufflaminare &c. *Omnia* vegetabilia, quæ multum participant de principio *nitro ſalino* ſunt Cardiaca. Etc. nihil addimus *præterea*, vide ſuo tempore dictum *opus* de Fermento & Fermentatione in Pathologia & *Therapia* in quo multa curioſa traduntur, quæ alibi non invenient Studioſi, licet ſollicitè inquirant.

§. 62. *Jam*

§. 62. *Jam dicendum* foret de compoſitis ex vegetabilium familia, ſed nihil addimus, pertinent enim ad pharmaciam, & hæc duplex *Galenica* & *Chemica*, *Galenicam Zwelfferus* reformavit ſatis feliciter; *Chemica* ulterius ſcrutinio per Vulcanum indiget, multa præclara posſidet, nobis verò præomnibus compoſitis arrident ſalia volatilia ex vegetabilium familia: *Nobiliſſ.* D. D. Joel Langelott Amicus noſter Curioſum experimentum ex cujusdam Medici Suedici communicatione ad noſtros Curioſos tranſcripſit. Nobilisſimo Wedelio & hic multum debet noſtra Reſpublica Medica, & *Danieli* Ludovici Medico Gothano Viro Inſigni: ſunt tamen omnia Galenica, ita comparata, ut indigeant maxima reformatione, poteſt videri *noſtra Spongia Hippocratica* ſuo tempore. *Solum* id dicimus hic, *Emulſiones Perlarum* reſpectu Perlarum nullam habent efficaciam, ſi quis cretam depuratam iſtis aquis cardiacis admiſceat, parem habebunt efficaciam, quam *Perlæ* admiſtæ, nihil enim virium aquis *Perlæ* communicant, & talia ſunt ſexcenta plebi practicorum in uſu. Aquæ ex plantis *deſtillatæ*, *Conſervæ* & *Electuaria* non ritè fiunt in officinis, ſunt cadavera, & plantarum vires novis compedibus conſtringuntur. Præprimis iſta *Electuaria* purgantia ſunt tales ingredientium confuſæ mixturæ nulla arte concinnatæ, audit verò malè apud omnes ferè practicos iſta confectio *Hamech*, de qua videri poteſt judicium Excellentisſimi *Sennerti*, quod ita habet: *Et revera* non videtur, inquit, commoda confectio, præcipuè ob myrobalanorum, quæ, aſtringunt, copiam. Etſi enim Arabes iis frequenter uſi fuerint, recentes tamen habuerunt, quibus nos deſtituimur &c. *Solenander*, *Fernelius*, *Steeghius* quoque eam improbant.

bant: *Myrobalanos* in *Confectione* Hamech quoque omiſit Celeberrimus *Chriſtianus Marggravius Leidæ* Decus in ſua Materia Medica Contracta cap: XI. p: 175. Et ſiniſtris oculis dignæ ſunt *ſyruporum* quorundam compoſitiones, quid ſunt niſi menſtrua ſanguinem fermentantia, & noſtro arbitratu in nullum adhiberi debent uſum, quocunque etiam modo illud fiat, niſi ſemper ad miſta ſint quædam ex præcipitantibus; ſummatim, compoſita ſaccharata maximam partem nobis ſuſpecta in omni morborum genere, meretur & hic audiri monitum, quod dat illud Medicorum Hallenſium fulgens *Sidus* D. D. *Martinus Andreas Mællenbroccius* in ſua Cochlearia Curioſa c. XVII. p. 103. Etc. Imo per Chymicas probationes, inquit, innotuit *Saccharum* acri i. e. corroſivo ſale conſtare. Etc. Tumque creditur quod in bilem facile tranſeant ſacharum & mel. Nihilominus primum eſt, ad quod practici accedunt in curanda *pthiſi* & tuſſi, ibi ægri tot Syrupos, tot Eclegmata lambunt, ut nauſeent ad *vocem Syrupi* vel *Looch,* quid hic fit aliud, quam ut curando hunc morbum centum anamolias ipſo morbo deteriores inferant, tonum viſcerum prorſus vitient, ſed non libet ulterius hæc hic reformare: pauci ſunt, quibus venter non diſtendatur vel doleat, ſi hoſce Syrupos lambant. *Inveniuntur* etiam *pigmentarii*, qui condiunt condienda *melle* loco *Zacchari*, quam benè & illi conſulant ſanitati hominum, probè ſciunt Eruditi: *Nulla avaritia* magis deteſtanda, quam quæ etiam propter lucrum humanæ vitæ inſidias ſtruere, ſub prætextu quod prodeſſe velint, & officinas in eum finem inſtructas eſſe communis perſuaſio eſt, annituntur. Et ſi *Medicina* noſtra reformari debet, uti omnino debet, in re pharmaceutica

fiat

fiat intium, cum & ibi plurimum plebi imponatur, ac de ejus corporibus, non minus quam de corio vulgari fiunt per mortes experimenta, & Magnatibus hinc quoque adveniunt pericula, præſertim ſi tales Medicos adhibeant, quorum ſapere non extenditur ultra communem compoſitorum farraginem: in *Tribus* verò conſiſtit *Seplaſiariorum* fraus, quæ reformatione indiget (1) in *Taxa* (2) in *Materia* Medica (3) in *Materiæ* Medicæ compoſitione. Quare *Medici* ſibi artem pharmaevticam unâ cum chirurgia non repoſcunt, cum ſint partes *Medicinæ*? Quare *pharmacia* & *Chirurgia* non publicè docentur in *Academiis*, & errores notantur? *Vulgaris* Medicorum praxis, qua colludunt cum ſeplaſiariis, hominum laniena eſt, verum de his & ſimilibus artis Medicæ erroribus agemus ex profeſſò in noſtra Spongia Hippocratica. (1) *Taxam* quod attinet, proſtant in benè ordinatis Rebuspublicis tales ordinationes, E. g. Auguſtana, Noribergenſis, Francofurtana, Roſtochienſis, Bremenſis, Hafnienſis &c. Conſule hac de re Elegantem Diſcurſum *Celeberrimi* D. D. *Georgii Dethardingii* Phyſici *Sundi* Meritisſimi Practici Famigeratisſimi, Conſultisſimi Felicisſimi, Magni noſtri Amici. (2) *Materiam Medicam* omnium ſollicitisſimè conquirunt *Haffnienſes*; *Batavi*, *Angli*, & illi, quorum commercia in orientis plagas usque reſpiciunt, quoad exotica omnes ſuperant, & ſua Pharmacopolia optimis ſimplicibus inſtructa habent: multis in locis, ubi illa commercia ſilent, cortice oportet eſſe contentos, illis recommendamus *Magni* noſtri Amici & Patroni Inſignisſimi *Thomæ* Bartholini conſilium de remediis inquilinis & nobiſcum natis. (3) circa *Compoſita* præprimis curioſi ſunt Europæ noſtræ ſeptentrionalis Athe-

narum Medicarum Haffniæ *Medici*, vide illorum Diſpenſatorium; De compoſitis in officinis ordinandis *lege* Nobiliſſ. D. D. *Georgii Dethardingii* Elegantem Diſcurſum p. 6. 7. illorum etiam farrago innumerabilis exſtat in variis officinis, & nimium hic quidam luxuriant, & nonnulli in hoc gloriam quærere geſtiunt, ut in officinis ſua proſtent compoſita, & ea ſæpius tam jejunè & confuſè ſunt ordinata, ut omnino mereantur judicium par, quale olim Celeberrimus *Sennertus* de *Confectione* Hamech ſuperius â nobis allatum propoſuit, dolemus & in hoc noſtri ſeculi luxum intempeſtivum magis vanæ gloriolæ quam ſanitati hominum ſtudentem: jactent alii ſua compoſita, apud nos compoſita Gulden Klee & Hoffmanni Magni ſunt Momenti: &c. De aquis deſtillatis repetimus noſtrum judicium ex noſtro *Prodromo* p. 516, 517. 518. 519. 520, (ſed hunc tractatum cum publicaremus, quoque communes errores errabamus &c.) hinc fit ut ægri adeo torqueantur, & materiæ morbificæ iſtas aquas propinando novum fermentum additur, quaſi *Camino oleum*, hincque tot prognoſticis relinquuntur, tot ad Rogum efferuntur, repetimus ea, quæ diximus in *præloquio* pag. 5. & 6. hujus operis curioſi.

§. 63. *Quemadmodum nunc ſuperius dictum*, (§. 28. p. 55. 56.) ſi Herbarium Salomonis exſtaret, magnam facem accendere poſſet ad cognoſcendas plantas *Biblicas*, revera & maximum emolumentum in curandis morbis ex eo petere liceret: nam tale quid litteris demandaſſe ex ſcripturæ locis quam facillimè colligitur *1. Reg. IV. 29. 33. Sap. VII. 15. 20. Syrach. XLVII. 18. Salomonem de plantarum* natura & facultatibus, quæ & quoto gradu eſſent calidæ, aut frigidæ, ſiccæ aut humidæ, libros ſcripſiſſe, ex quibus multa

multa deinceps Medici decerpſerunt; quosque Ezechias Rex pius tandem de Medio ſuſtulerit, quodque populus indè Medelas acciperet, nec â Deó opem peteret ex *Euſebio* & *Hippolito* recitat *Anaſtaſius Meænus* Quæſt: 39. in S. Scriptur: Neque id omnino veritati ullo modo abſonum eſt: Fuit enim hoc quoque Regum ſtudium, & ſcribit *Fuchſ: in Dedicat: de Hiſtor: Stirp: Attalum Pergami, Evacem Arabum, jubam Mauritaniæ* Reges de plantis ſcripſiſſe. *Varro* recenſet ad quinquaginta, qui Græcè de Agricultura, curaque hortenſi ſcripſerint: quos inter *Reges Hieron* Siculus; & *Attalus* Philometor; Hinc & *Herbæ* quædam Regum nominibus inſignitæ. E. g. *Gentiana*, Lyſimachia, Mithridatia, quæ & Scordium, â potentisſimis Regibus, *Illyriorum* Gentio, Macedonum *Lyſimacho*, Ponti & Bithyniæ Mithridate appellata: ut *Teucrium* â Teucro, ab Achille *Achillea*, â Chirone Centauro Centaurium; Artemiſia â Cariæ Regina Mauſoli conjuge. Ita Hortos quoque poſt *Salomonem* Reges ac principes coluiſſe leguntur, *Cyrus* apud Ciceronem de Senect. *Tarquinius* ſuperbus, & *Diocletianus*, poſtquam imperii faſces reliquiſſet. *CaRolus.* V. Depoſito ſceptro ſummam voluptatem habuit in horticultura: & Noſtra ætate *Ludovicus* XIV. Rex Galliæ & Navarræ (§. 9. p. 15. ) inter medias belli flammas curam hortorum gerit, & Muſárum ſummum Aſylum eſt. *Rex Angliæ* jam imperans & ſtudio naturæ totus deditus, eruditos viros Naturam ruſpantes in ſummo honore & delitiis habet; ut nihil nunc dicamus de aliis Sereniſſimis perſonis Naturæ ſtudio deditis. Sed Herbarium hoc *Salomoneum* & abditum eſſe, neque amplius exiſtere (§. 28. p. 56.) asſeruimus. *Et veriſimile* videtur, ideò abolitos hos libros,

quod

quod nefandas ſuperſtitiones continerent, ſive â Magis Conſcripti fuerint, nomine Sapientisſimi Regum abuſis, qui & hodie quosdam ſpecioſo hoc titulo *Salomonis* venditant, de quibus junge (§. 28. p. 56) *Delrionem* Diſq: Magic: l. 2. Q. 3. *Sive Rex ipſe,* qui Apoſtata factus & idolatra, ad Magiam infamem quoque, deflexit, ut ad hanc â Naturali facilis eſt tranſitus, (*qua de re Pineda* in *Salomone* Previo l. 3. C. 23. & l. 7. C. 12. talia ediderit. *Nam Magicas* artes, cum idolatria (ſunt verba *Urſini Magni Theologi* &c) gentium ſororio quodam vinculo conjunctas, jam olim Iſraelitas coluiſſe, & calluiſſe certum eſt quarum infamis prætextus quæſitus â Magorum autorum nominibus: accepiſſe ab Adamo, Sesſio Abrahamo Salomone ſe gloriabantur. Et quoniam & iis refertum Herbarium Salomoneum, quæ poſſent videri Magica (Salomonem verò â crimine Magiæ abſolvere non poſſumus propter rationes â *Pineda* allatas) licet fortè in ſe ſpectata non eſſent, vel ad minimum non *Dæmoniaca*, rectè *DEUS* interire voluit, ſatis enim adhuc ſuperſtitioſi quidam ſunt circa plantas, & iis Magi abutuntur. Notum quid Celeberrimus *Loccenius* Suediæ Decus de quadam arbore juniperi, quam ruſticus detruncare volens ter inaudivit vocem, ne ſecurim junipero admoveret &c. in *Antiquitatibus Gothicis*. Ut nihil nunc addamus de magicis ſuperſtitionibus, quibus utuntur in lectione plantarum, de Filicis ſemine mira habent, ut & de Mandragora, de virgula divinatrice (§. 44. ) Remittimus B. L. ad Celeb. D. D. *Frommanni* Curioſiſſ. opus de Faſcin: l. III. part. IX. C. III. p. 938. 939. 940. Nos & iis ritibus & ceremoniis Magicis nil tribuendum eſſe cenſemus, & nemo Chriſtia-

norum ſalva conſcientia talibus plantis uti poteſt, vel ab iis poſcere opem, qui hos illicitos ritus Dæmoniacos uſurpant, & facientes Dei iram in ſe provocant.

§. 64. *Propter quas cauſas* Herbarium Salomoneum perire voluit diximus modo antè, & quod etiam plantis ceremoniis Magorum infamatis uti non liceat, verum tamen an hinc etiam contra faſcinationem vires omnes plantis denegare debeamus! Nos noſtrum judicium ſuſpendimus, ne vel aſſerendo Magorum impietati fulcrum ſubſternamus, vel negando naturæ Majeſtati, cujus vires maximam partem nos latent, injuriam faciamus, repetimus, verba Nobiliſſ. D. D. *Frommanni* (46. p. 97.) & noſtra (§. 45. p. 96) ſunt tamen multi Excellentiſſ. viri, qui admirandas dotes plantis tribuunt. *Venatores* pro veneficio repellendo *quercus* fruticem ſciderunt, ac per ipſum cum canes, tum venatores ipſi tranſiverunt. Conſule *Codronchium*, & *Jordanum*. Me etiam admodum anbiguum reddit, ut nihil hic aſſerere confidenter, vel negare auſim, obſervatio, quam olim autopſiæ fide communicavi Medicorum *Phœnici* D. D. *Thomæ Bartholino*: Quidam Dæmoniacus in ſummo furore verſans â quatuor viris robuſtisſimis vix continebatur; quare quidam Decurio hoc dedit conſilium, illius manus & pedes Tiliæ cortice conſtringerent; hoc facto manus & pedes quieverunt, ſed cum capite terram quatiebat cum & hoc cortice Tiliæ cingeretur, totus quievit. (*Volumin*: II. Obſ. VIII. p. II. 12.) *Scillam* in limine januæ ſuſpenſam malorum Medicamentorum introitum pellere tradit *Pythagoras*, ait *Plinius* l. 20. c. 9. idem tradit *Dioſcorides* l. 2. c. 168. qui de *Rhamno* ſcribit l. 1. c. 102. famam eſſe, ejus ramos valvis

feneſtrisve impoſitos veneficia depellere. Laudatisſima eſt Herbarum Homero, quam vocari â diis putat *Moly*, & inventionem ejus Mercurio asſignat contraque ſumma veneficia demonſtrat, verba ſunt *Plinii* l. 25. c. 4. in *Homerico* hoc Moly duo notatu digna notat *Petrus Laurenbergius* apparat. l. 1. c. 17. (1) difficulter eam & non niſi â diis erui è terra. (2) tollere ac avertere incantamenta ac veneficia propterea hoc Moly affine cenſet illi plantæ, quam Joſephus *Baaras* indigitat. *Leontopodii* radicem utilem eſſe ad *philtra* appenſam, ſcribit *Dioſcorides*. *Alyſſon* Domibus appenſum ſalutare eſſe creditur, & hominibus atque animalibus faſcini amuletum. *Audiamus* Clariſſ. *Martin. Panſam* de *prorog. homin. vita* p. 4. c. 56. *Tametſi, enim*, ait, *herbæ* eum præcipuè uſum, easque vires inſitas habent, ut *alimenti* & *Medicamenti* ratione corporibus humanis accommodentur, ſunt tamen aliquot ſtirpes ejusmodi virtute nobilitatæ, ut *maleficiis* obſiſtant, omnisque generis faſcinationes abigant. Similis virtus præter herbas, & gemmis quibusdam attribuitur, eamque conſecutæ ſunt non â primis qualitatibus, h. e. temperamento caliditatis, frigiditatis, ſiccitatis & humiditatis, ſed ſpecifica vi & occulto effectu abditaque proprietate, cujus rei cauſa indagari nequit, hactenus *Panſa*: *Et quis* non novit per ſolum attactum plantarum morbos periculoſos ſolvi: ſic ad hæmorroidas cæcas amuletum eſt fabariæ radix recens, dorſo intra ſcapulas appenſa, nodulorum numero tuberculis Mariſcarum reſpondente, ſine ulla alias ſuperſtitione Teſte, D. D. *Georg*: *Wolffgang*: *Wedelio* Dignisſimo Rolfincii *ſucceſſore*: (Tom: 2. Ephemerid. obſ. cv. p. 297. *Volumin*. actor. Haffn. obſ. LI. p. 103.) *Occaſione* hac inſerimus

mus *quod nuper ex relatione cujusdam Reverendi Domini percepimus, qui autopſiæ fide mihi retulit ſe non ſemel vidiſſe & obſervaſſe, in cujusdam alterius Paſtoris Filio fluxum ſanguinis è naribus ex ſimplci Granati* admotione fuiſſe ſuppreſſum, ſed pleniorem relationem mihi promiſit, quam B. L. alibi leget. *Memini* ex autopſiæ fide audiviſſe in Magiſtro Excubiarum ſanguinis fluxum deſperatum ſubſtitiſſe, propterea quoniam ſanguis depluebat in *araneam* filo alligatam, quod conſilium dederat cujusdam Chiliarchæ Suecici coniux: *cauſam* hujus rei dedimus *alibi*. Hæc admiranda effecta non ſunt contemnenda. Sed vid. B. L. D. D. *Frommanni*. l. III. p. IX. C. I. II. III. IV. part. X. c. I. II. &c. de *Faſcinatione* ut de qua *nemo* felicius hoc *Magno viro* ſcripſit. Tribuunt & plantis vim indurandi corpora, ita ut ea penetrare non posſint arma: verùm de hoc vide Excell. D. D. *Franſiſc. Redum*. &c. *Nos* noſtrum judicium ſuſpendimus, inquirant alii nobis in hiſce oculatiores; ad dæmonem pellendum plãntas nil quicquam poſſe eruditisſimè aſſeruit D. D. *Voetius* qui videatur apud Dictum D. D. *Frommannum* virum conſummatæ Eruditionis (l. III. p. IX. c. II. §. 8. p. 931.) *omnibus* vero ea ſint recommendata, quæ aliquando ad nos perſcripſit *Ampliſſ.* D. D. *Thomas Bartholinus* & *exſtant* (*volum*. 2. *obſ*. CII. *p*. 250.) *optima quippe remedia*, *Hollerii* judicio, quæ plurimis cognita, pluribus probata ſunt. His ergo utamur, præeunte *Vindiciano* ad Valentinianum imperatorem, quibus ſumus benè experti, & quorum beneficio conſequuti ſumus optabilem ſanitatem &c. Et in hujus *Magni Viri* monita, dignum, ut juret quilibet *Candidatus* Medicinæ. Et contra ritu Magorum infames factas plantas repetimus, quæ in fine (§. 45. p. 96.) diximus. Nobis non grave eſſet plura heic commemorare, horumque ſcrutinium curioſum inſtituere, ſed verba ſunt ponderanda, præſertim hocce ſeculo, quod eſt delicati guſtus, & vix quicquam ad palatum, niſi fortè illi aliquid ſcribant, qui autoritatum ſtatuas adorant, tum etiam metuimus *Tanagraeos* Gallos, qui inter Eruditos Germaniæ noſtræ crocitant, talemque Tanagrico genere ortum Gallum pugilem jam ante quinque annos expertus ſum, hominis meminiſſe non placet, ejusque etiam ſit mentio tanquam Anonymi in *noſtro Nigredinis Æthiopum*

(§. XXI.) ubi *Wilhelmus Poſtellum* calumniatur. Sed ſolenne eſt in mundo *Catulos* inſultare leoni mortuo: Si ſibi relinquantur terrarum Joves ac Reipublicæ litterariæ Dictatorês videntur eſſe, licet longe infra quisquilias & Eruditi orbis nugas ſint depresſi, ſi quid in publicum enitantur, quamvis nil aliud ſit, quam quod aliundê exſcripſerint, nihilominus in ludis olympicis præ aliis coronam civicam promeriti videri volunt, ſi quis ſtatim iis ſomniis lectis aſſenſum deneget, hunc diris devovent, aut iis annumerant quibus præter peponem nihil cerebri in mentis arce, cum tamen omnes hi homines cum ſua eruditione Elaſtica, & inutili ſapientiæ phlogoſi in vappam vel phlegma brevi reſolutura *animam pro ſale habent*, loquimur cum ſeculi Noſtri Juris Naturæ & Gentium interpretum Phænice, D. D. *Samuele Pufendorffio*, ne putreſcant: Bonos laudamus, nobis cum iis res eſt, qui Zoilorum principes ſunt & aliorum labores vituperant, hoc fit Maximis viris, quid ergo mirum, ſi parem ſortem, quoad hoc punctum, cum iis patiamur, namque in lucta cum invidia & odio hominum maximam vitæ noſtræ partem tranſigimus, premant, dum non opprimant &c. Sed ſubiſiſtmus & huic *Methodo* nunc finem imponimus, novamque telam ſub auſpicio D. T. O. M. De Mineralium familia ordimur, quam & ſimili methodo elaboramus, eritque Deo, Volente curioſum opus magis verò in eo ad ſpecies deſcendemus, quod hic facere non licuit, quoniam peculiarem meditamur laborem de *Anatome plantarum* philoſophica, ubi ex profeſſo plantarum partes contemplaturi ſumus & philoſophicê conſideraturi juxta philoſophiæ Corpuſcularis dictamen, quantum ei deferendum ſit, ſæpius in hoc opere diximus; nullibi verò nos mancipavimus, aut ullibi nos mancipaturi ſumus, nihil enim nobis magis exoſum quam plagium, & in civitate philoſophica libera ſervitutis jugum & ut quilibet merito ſibi aliquid vendicabit, ſic nobis aliquid vendicamus &c. ſed hic eſto terminus hujus laboris. *Gloria Tibi Domine JESU, qui es omnia, & ſuper omnia, & præter omnia*

*Scalig. Exercit. 345. Sect. 2.*

Oſtende Meliora, ſi potes, & tunc carpe noſtra, Verùm ita ut ubique ſpecimen modeſtiæ ſimul edas!

FINIS.

Soli Deo Gloria, cui etiam Gratias ſummas dicimus

Candor B L. Spongiam erratis â nobis prætermisſis delendis admovebit, cenſuram Zoili Momi & Naſutuli nihil moramur, ipſis meliorem mentem precamur, & candorem B. L. perennem nobis optamus.